Viro Illustrissimo

H. C. Ørsted

qua par est observantia

Auctor.

OBSERVATIONES CRITICÆ

AD

CAII IULII CÆSARIS

COMMENTARIOS DE BELLO CIVILI,

QUAS

AD IURA MAGISTRI ARTIUM RITE OBTINENDA
INTER PUBLICA GAUDIA

DE

FELICISSIMIS NUPTIIS

AUGUSTÆ REGIS FILIÆ

GUILIELMÆ MARIÆ

ET

CELSISSIMI PRINCIPIS

FREDERICI CAROLI CHRISTIANI

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

CAROLUS GUILIELMUS ELBERLING,

PHILOLOGIÆ CANDIDATUS,

RESPONDENTE

DOCTISSIMO

CHRISTIANO FREDERICO INGERSLEV,

THEOLOGIÆ CANDIDATO.

IN AUDITORIO COLLEGII MEDICEI D. VI NOVEMBR. H. X.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT *PETRUS THRANE BRÜNNICH.*

MDCCCXXVIII.

Specimen hoc inaugurale Facultas Philosophica Universitatis Regiæ Havniensis dignum censet, quod ad Magisterii Honores rite obtinendos disputationi publicæ subiiciatur.

Hafniæ d. 13 *Oct.* 1828.

A. OEHLENSCHLÆGER,
P. T. DECANUS FAC. PHIL.

PROLEGOMENA.

Quum superioris anni initio editionem Commentariorum de Bello Gallico a me curatam in lucem emitterem, in præfatione (pag. X) pollicebar, me singulari libello de codicum et editionum virtutibus et vitiis acturum esse. Tunc enim temporis in animo erat, omnes editiones, quarum mihi copia esset, ita inter se comparare, ut, quid alia ex alia mutuata esset, accurate demonstrarem; de iis autem, quæ mihi deessent, aliorum iudicia colligere; editionum vero lectiones cum codicibus, de quorum scriptura aliquid cognitum haberem, ita contendere, ut, ad quemnam codicem quævis editio proxime accederet, exemplis allatis docerem. Rem autem inceptam (iam enim, iuvenum quorumdam ornatissimorum auxilio adiutus, editionem Romanam anni 1469, Venetam a. 1471, Mediolanenses a. 1477 et 1478, Venetam a. 1511, Aldinam a. 1519, R. Stephani a. 1544 cum mea editione librorum de B. G. accuratissime contuleram) ea cogitatio interpellavit, laborem a me susceptum esse, cuius non tanta esset utilitas, ut temporis dispendium ea compensaretur; libellum autem ea de re conscribendum talem evasurum, ut vix futuri Cæsaris editores eum perlegere sustinerent, ceteri ab opere tam tædioso perlegendo

refugerent; fieri autem non posse, ut de codicum et editionum consensu ubique constaret, quum ipse unum tantummodo codicem accurate contulissem, alterum, cuius mihi copia esset, indignum iudicarem, qui iterum conferretur; Oudendorpius autem, qui plurimos codices habuisset, ita in eorum scripturis indicandis versatus esset, ut eos numeraret potius quam singulorum codicum scripturas afferret. Itaque rem in brevius contrahere statui, ut non ubique omnes editiones conferrem, sed eas tot locis consulerem, ut de earum quasi familia nulla dubitatio relinqueretur; hæc autem prolegomena ita conficerem, ut ea tantummodo, quæ mihi certa essent, proferrem neque nisi necessitate urgente, cur ita crederem, exemplis allatis probarem; in reliquis autem lectoribus relinquerem, utrum me fide dignum an indignum iudicare vellent.

Postulat autem rei ratio, ut de Bello Gallico et de Bello Civili separatim agatur; nam Commentarios de Bello Alexandrino, Africano, Hispaniensi nondum ita tractavi, ut quidquam de iis pronuntiare audeam. Sed antequam hoc aggrediar, necesse est editionis Davisianæ horum Commentariorum exemplum, quod olim J. A. Fabricii fuit, nunc in Bibliotheca Universitatis Havniensis servatur, commemorare erroresque nonnullos, qui de eo in Germania versari videntur, corrigere.

Etenim iam ipse Fabricius 1) testatus erat, se Davisianæ Cæsaris editioni a. 1706 adscriptas ser-

---

1) Bibl. Latin. Vol. II. p. 194 ed. Hamb. 1721. Describitur hic liber in Biblioth. Fabricii (Hamb. 1738–41) T. IV. pag. 182 No. 43; in *Designatione auctorum vett. cum codd. MSS. colla-*

vare ex libris Gudianis lectiones Codicum MSS. plus quam decem. Hunc librum postea Davisio Secundas Curas conscripturo et deinde Oudendorpio commodaverat 2). Pervenisse autem hunc librum cum ceteris eius generis libris Fabricianis in bibliothecam Univers. Havn. iam tunc sciebam, quum editionem Commentariorum de B. G. curarem; sed quum ceteris omnibus crederem, Oudendorpio summam fidem esse habendam, inutile videbatur hunc librum iterum conferre. Postea autem quam in illis commentariis edendis didiceram, non nimis confidendum esse Oudendorpio, libro illo uti desiderabam, eumque precibus meis concesserunt clarissimi Bibl. Univ. Havn. præfecti. Magnopere autem mirabar, quid sibi vellent ea, quæ in Kreyssigii Præfatione (p. III.) dicerentur: "Oudendorpium permulta futuris commentariorum Cæsaris editoribus retractanda atque emendanda reliquisse, vel ex iis intelligitur, quæ Spohnius editionis Davisianæ exemplo multorum codicum collationibus referto, quod ab Oudendorpio Præfat. p. 9 ed. Stutgard. descriptum est, — hunc in modum præscripsit: *Ex hoc libro Davisius et Oudendorpius varias lectiones suas depromserunt; sed adeo negligenter, ut sine hoc libro nulla sit illarum editionum fides, nullus usus.* His adde, quæ ex Spohnii epistola de eadem re ad amicum scripta protulit Seyffarthus in

---

torum, ad cuius ordinem hi libri in Bibl. Univers. Havn. servantur, reperitur pag. 202 No. 46. In fronte huius libri ipsius Fabricii manu, quæ mihi ex multis aliis eius libris, qui Havniæ sunt, satis nota est, scriptum legitur *Jo. Alberti Fabricii.* 1708.

2) Oudend. Præf. pag. VIII sqq. ed. Stutg.

Memoria F. A. G. Spohnii, Lips. 1825 p. 47. sq." Magis mirabar, quum ipsius Spohnii verba a Kreyssigio indicata perlegerem [3]: dubitabam fere, utrum meis oculis, quibus quotidie Fabricianum librum inspicerem, an Spohnii verbis crederem. Tandem omnem dubitationem sustulit C. E. Ch. Schneider [4], qui Spohnianum librum Bibliothecæ Vratislaviensi illatum esse scribit; esse autem exemplum editionis Grævianæ a. 1713 [5] et lectiones non ultra B. G. VI, 22 adscriptas habere; videri autem hunc librum ante Cortii, tum Ernestii fuisse. Collatis illis, quæ Schneider ex hoc libro affert, exemplis, mihi satis constat, lectiones huius libri ex Fabriciano descriptas fuisse; nam quod idem vir doctissimus censet, *si hoc exemplum præsto fuisset Oudendorpio, ita impeditum et ancipitem eius usum queri eum non po-*

---

3) "Unter meiner Sammlung von alten Codd. und Collationen findet sich das Exemplar von der *Davisischen* Ausgabe des Jul. Cæsar, welches vordem *Alb. Fabricius* besass und aus welchem *Davis* seine letzte Edit. in 4to u. *Oudendorp* die seinige bildete. Da dieses Exempl. die sämmtlichen *Gruterschen* u. *Gudius'schen* Collationen ad marginem geschrieben enthält, Davis u. Oudendorp nicht nur sehr vieles falsch, sondern auch sehr viele und nicht unbedeutende var. lect. gar nicht benutzt haben, ist dieses Exempl. von einem merkwürdigen Werthe, da ohne dasselbe Oudendorps Ausgabe ganz ohne fides ist. Z. B. der *Buslidianus* Oudendorp. ist blos ein error."

4) Specimen novæ de bellis J. Cæsaris commentariorum recensionis. Programma. Vratislaviæ 1827. 4. p. 1 sqq.

5) Huius editionis exemplo adscripta fuisse Spohnii verba, quæ supra attuli, iam in Dæhnii præfatione pag. VII legeram; sed quum prorsus non intelligerem, quomodo aliquis contra diserta Fabricii et Oudendorpii testimonia credere posset, Fabricianum librum fuisse exemplum editionis Grævianæ, Dæhnium errasse putabam.

tuisse, ut facit in præfatione et notis (pag. 2), et *confusas* fuisse *Fabriciani exemplaris notas* (pag. 3), hoc ad Oudendorpium defendendum attulit; sed multus me docuit usus, varias scripturas huius libri ad legendum minime difficiles esse, modo quis diligenter attendat 6), Oudendorpium autem in iis excerpendis negligentissime versatum esse. Pleraque, quæ Schneider attulit, eodem prorsus modo in Fabriciano leguntur 7); ea, quæ aliter scribuntur, afferam. Ad B. G. I, 8, 4 in Spohniano leguntur: *Posset et legi v i n c t. adeo est scriptura ambigua Gr.*; sed *Gr.* in Fabric. non est. Ad B. G. 2, 30, 3 ex Spohn. affertur *Lipsius Poliore*, in Fabric. est *Poliorc.* 94 *f.*; neque in hoc Lipsii codex vocatur *Terentianus* sed *Torrentinus*. Ad B. G. 1, 3, 4 in Spohn. est *populi Rom. Pet. 1.*; in Fabric. *Populi Rom. Pet. E.*, quod scribi debuisse Schneider recte suspicatus est. Ad 1, 3, 8 vocabulo *tres* in Fabric. superscriptum legitur: *Bo. duo. G. E.* Ad 5, 28, 1 ex Spohn. affertur, Egmondanum habere *populum Rum*; in Fabric. est *populum Romanum V. 1*, ex Egmond. nulla varietas adscripta est. Ceterum in hoc Fabriciano libro habentur hæc: 1) *Jani Gruteri* collationes codd. Petaviani, trium Bongarsianorum, Palatini, Cuiaciani. 2) *Marq. Gudii* collationes codd. Vossiani, Egmondani, Gottorpiensis; nam

---

6) Quæ in his excerptis usurpandis difficultas est, inde oritur, quod alii codd. ad aliam editionem collati sunt, adeo ut necesse sit præter Davisianam editionem etiam alias inspicere, ut de codicum silentio verum iudicium ferri possit.

7) Sic B. G. 6, 22, 1 ex Lovan. affertur *e lacte, e caseo et carne* (nam *et* ab hoc libro abesse, in Fabric. non scribitur), licet Oudend. contrarium affirmaverit.

Viro Illustrissimo

H. C. Ørsted

qua par est observantia

Auctor.

OBSERVATIONES CRITICÆ

AD

CAII IULII CÆSARIS

COMMENTARIOS DE BELLO CIVILI,

QUAS

AD IURA MAGISTRI ARTIUM RITE OBTINENDA
INTER PUBLICA GAUDIA

DE

FELICISSIMIS NUPTIIS

AUGUSTÆ REGIS FILIÆ

GUILIELMÆ MARIÆ

ET

CELSISSIMI PRINCIPIS

FREDERICI CAROLI CHRISTIANI

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

CAROLUS GUILIELMUS ELBERLING,

PHILOLOGIÆ CANDIDATUS,

RESPONDENTE

DOCTISSIMO

CHRISTIANO FREDERICO INGERSLEV,

THEOLOGIÆ CANDIDATO.

IN AUDITORIO COLLEGII MEDICEI D. VI NOVEMBR. H. X.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT *PETRUS THRANE BRUNNICH.*

MDCCCXXVIII.

Specimen hoc inaugurale Facultas Philosophica Universitatis Regiæ Havniensis dignum censet, quod ad Magisterii Honores rite obtinendos disputationi publicæ subiiciatur.

Hafniæ d. 13 *Oct.* 1828.

A. OEHLENSCHLÆGER,
P. T. DECANUS FAC. PHIL.

PROLEGOMENA.

Quum superioris anni initio editionem Commentariorum de Bello Gallico a me curatam in lucem emitterem, in præfatione (pag. X) pollicebar, me singulari libello de codicum et editionum virtutibus et vitiis acturum esse. Tunc enim temporis in animo erat, omnes editiones, quarum mihi copia esset, ita inter se comparare, ut, quid alia ex alia mutuata esset, accurate demonstrarem; de iis autem, quæ mihi deessent, aliorum iudicia colligere; editionum vero lectiones cum codicibus, de quorum scriptura aliquid cognitum haberem, ita contendere, ut, ad quemnam codicem quævis editio proxime accederet, exemplis allatis docerem. Rem autem inceptam (iam enim, iuvenum quorumdam ornatissimorum auxilio adiutus, editionem Romanam anni 1469, Venetam a. 1471, Mediolanenses a. 1477 et 1478, Venetam a. 1511, Aldinam a. 1519, R. Stephani a. 1544 cum mea editione librorum de B. G. accuratissime contuleram) ea cogitatio interpellavit, laborem a me susceptum esse, cuius non tanta esset utilitas, ut temporis dispendium ea compensaretur; libellum autem ea de re conscribendum talem evasurum, ut vix futuri Cæsaris editores eum perlegere sustinerent, ceteri ab opere tam tædioso perlegendo

refugerent; fieri autem non posse, ut de codicum et editionum consensu ubique constaret, quum ipse unum tantummodo codicem accurate contulissem, alterum, cuius mihi copia esset, indignum iudicarem, qui iterum conferretur; Oudendorpius autem, qui plurimos codices habuisset, ita in eorum scripturis indicandis versatus esset, ut eos numeraret potius quam singulorum codicum scripturas afferret. Itaque rem in brevius contrahere statui, ut non ubique omnes editiones conferrem, sed eas tot locis consulerem, ut de earum quasi familia nulla dubitatio relinqueretur; hæc autem prolegomena ita conficerem, ut ea tantummodo, quæ mihi certa essent, proferrem neque nisi necessitate urgente, cur ita crederem, exemplis allatis probarem; in reliquis autem lectoribus relinquerem, utrum me fide dignum an indignum iudicare vellent.

Postulat autem rei ratio, ut de Bello Gallico et de Bello Civili separatim agatur; nam Commentarios de Bello Alexandrino, Africano, Hispaniensi nondum ita tractavi, ut quidquam de iis pronuntiare audeam. Sed antequam hoc aggrediar, necesse est editionis Davisianæ horum Commentariorum exemplum, quod olim J. A. Fabricii fuit, nunc in Bibliotheca Universitatis Havniensis servatur, commemorare erroresque nonnullos, qui de eo in Germania versari videntur, corrigere.

Etenim iam ipse Fabricius [1]) testatus erat, se Davisianæ Cæsaris editioni a. 1706 adscriptas ser-

---

1) Bibl. Latin. Vol. II. p. 194 ed. Hamb. 1721. Describitur hic liber in Biblioth. Fabricii (Hamb. 1738-41) T. IV. pag. 182 No. 43; in *Designatione auctorum vett. cum codd. MSS. colla-*

vare ex libris Gudianis lectiones Codicum MSS. plus quam decem. Hunc librum posteá Davisio Secundas Curas conscripturo et deinde Oudendorpio commodaverat 2). Pervenisse autem hunc librum cum ceteris eius generis libris Fabricianis in bibliothecam Univers. Havn. iam tunc sciebam, quum editionem Commentariorum de B. G. curarem; sed quum ceteris omnibus crederem, Oudendorpio summam fidem esse habendam, inutile videbatur hunc librum iterum conferre. Postea autem quam in illis commentariis edendis didiceram, non nimis confidendum esse Oudendorpio, libro illo uti desiderabam, eumque precibus meis concessérunt clarissimi Bibl. Univ. Havn. præfecti. Magnopere autem mirabar, quid sibi vellent ea, quæ in Kreyssigii Præfatione (p. III.) dicerentur: "Oudendorpium permulta futuris commentariorum Cæsaris editoribus retractanda atque emendanda reliquisse, vel ex iis intelligitur, quæ Spohnius editionis Davisianæ exemplo multorum codicum collationibus referto, quod ab Oudendorpio Præfat. p. 9 ed. Stutgard. descriptum est, — hunc in modum præscripsit: *Ex hoc libro Davisius et Oudendorpius varias lectiones suas depromserunt; sed adeo negligenter, ut sine hoc libro nulla sit illarum editionum fides, nullus usus.* His adde, quæ ex Spohnii epistola de eadem re ad amicum scripta protulit Seyffarthus in

---

torum, ad cuius ordinem hi libri in Bibl. Univers. Havn. servantur, reperitur pag. 202 No. 46. In fronte huius libri ipsius Fabricii manu, quæ mihi ex multis aliis eius libris, qui Havniæ sunt, satis nota est, scriptum legitur *Jo. Alberti Fabricii.* 1708.

2) Oudend. Præf. pag. VIII sqq. ed. Stutg.

Memoria F. A. G. Spohnii, Lips. 1825 p. 47. sq." Magis mirabar, quum ipsius Spohnii verba a Kreyssigio indicata perlegerem [3]: dubitabam fere, utrum meis oculis, quibus quotidie Fabricianum librum inspicerem, an Spohnii verbis crederem. Tandem omnem dubitationem sustulit C. E. Ch. Schneider [4], qui Spohnianum librum Bibliothecæ Vratislaviensi illatum esse scribit; esse autem exemplum editionis Grævianæ a. 1713 [5] et lectiones non ultra B. G. VI, 22 adscriptas habere; videri autem hunc librum ante Cortii, tum Ernestii fuisse. Collatis illis, quæ Schneider ex hoc libro affert, exemplis, mihi satis constat, lectiones huius libri ex Fabriciano descriptas fuisse; nam quod idem vir doctissimus censet, *si hoc exemplum præsto fuisset Oudendorpio, ita impeditum et ancipitem eius usum queri eum non po-*

---

3) "Unter meiner Sammlung von alten Codd. und Collationen findet sich das Exemplar von der *Davisischen* Ausgabe des Jul. Cæsar, welches vordem *Alb. Fabricius* besass und aus welchem *Davis* seine letzte Edit. in 4to u. *Oudendorp* die seinige bildete. Da dieses Exempl. die sämmtlichen *Gruterschen* u. *Gudius'schen* Collationen ad marginem geschrieben enthält, Davis u. Oudendorp nicht nur sehr vieles falsch, sondern auch sehr viele und nicht unbedeutende var. lect. gar nicht benutzt haben, ist dieses Exempl. von einem merkwürdigen Werthe, da ohne dasselbe Oudendorps Ausgabe ganz ohne fides ist. Z. B. der *Buslidianus* Oudendorp. ist blos ein error."

4) Specimen novæ de bellis J. Cæsaris commentariorum recensionis. Programma. Vratislaviæ 1827. 4. p. 1 sqq.

5) Huius editionis exemplo adscripta fuisse Spohnii verba, quæ supra attuli, iam in Dæhnii præfatione pag. VII legeram; sed quum prorsus non intelligerem, quomodo aliquis contra diserta Fabricii et Oudendorpii testimonia credere posset, Fabricianum librum fuisse exemplum editionis Grævianæ, Dæhnium errasse putabam.

tuisse, ut facit in præfatione et notis (pag. 2), et *confusas* fuisse *Fabriciani exemplaris notas* (pag. 3), hoc ad Oudendorpium defendendum attulit; sed multus me docuit usus, varias scripturas huius libri ad legendum minime difficiles esse, modo quis diligenter attendat 6), Oudendorpium autem in iis excerpendis negligentissime versatum esse. Pleraque, quæ Schneider attulit, eodem prorsus modo in Fabriciano leguntur 7); ea, quæ aliter scribuntur, afferam. Ad B. G. I, 8, 4 in Spohniano leguntur: *Posset et legi vinct. adeo est scriptura ambigua Gr.;* sed *Gr.* in Fabric. non est. Ad B. G. 2, 30, 3 ex Spohn. affertur *Lipsius Poliore*, in Fabric. est *Poliorc.* 94 *f.*; neque in hoc Lipsii codex vocatur *Terentianus* sed *Torrentinus.* Ad B. G. 1, 3, 4 in Spohn. est *populi Rom. Pet.* 1.; in Fabric. *Populi Rom. Pet. E.*, quod scribi debuisse Schneider recte suspicatus est. Ad 1, 3, 8 vocabulo *tres* in Fabric. superscriptum legitur: *Bo. duo. G. E.* Ad 5, 28, 1 ex Spohn. affertur, Egmondanum habere *populum Rum;* in Fabric. est *populum Romanum V.* 1, ex Egmond. nulla varietas adscripta est. Ceterum in hoc Fabriciano libro habentur hæc: 1) *Jani Gruteri* collationes codd. Petaviani, trium Bongarsianorum, Palatini, Cuiaciani. 2) *Marq. Gudii* collationes codd. Vossiani, Egmondani, Gottorpiensis; nam

---

6) Quæ in his excerptis usurpandis difficultas est, inde oritur, quod alii codd. ad aliam editionem collati sunt, adeo ut necesse sit præter Davisianam editionem etiam alias inspicere, ut de codicum silentio verum iudicium ferri possit.

7) Sic B. G. 6, 22, 1 ex Lovan. affertur *e lacte, e caseo et carne* (nam *et* ab hoc libro abesse, in Fabric. non scribitur), licet Oudend. contrarium affirmaverit.

Vossianum ab eodem collatum fuisse, qui *Egmond.* contulit, patet ex observ. ad B. G. 5, 26, 1 pag. 160, ubi scribendum esse dicitur *Catuvolco*: "atque ita ut dixi diserte infra p. 135 (i. e. B. G. 6, 31, 5) in Vos. et Egmond." 3) *Nic. Heinsii* collatio codicis Lovaniensis. 4) *Lipsii collationes* ex codd., qui indicantur litteris *Q. T. O. Aim. b. bb.*[8]) De singulis dicam suis locis. Præterea reperiuntur observationes et coniecturæ aliquot Gudii et Lipsii, item loci aliorum scriptorum veterum, qui ad Cæsarem explicandum facere videantur; sed horum difficilis est usus, quum plerumque paginæ modo laudentur editionum, quibus is usus est, qui hæc collegit (quem utrum Lipsium fuisse dicam an Cuiacium nescio); ita, ut exemplum afferam, ad B. G. 7, 8, 3 pag. 230 hæc leguntur: "Appian. 649 f. Flor. 53. 10. G. 1. a. m. 121 pr. Herodian. 508. 630. Paneg. 80 l. 29. Justin. 237 f. Tac. 269. Flor. 64 l. 4."

A quonam autem hæc Fabriciano libro adscripta fuerint, ignoratur; eum non Gudium fuisse, quod Schneider credidisse videtur (l. c. pag. 2), inde apparet, quod Gudius a. 1689 mortuus est (vid. C. G. Jöchers Allg. Gelehrt. Lexic. 2ter Th. pag. 1243 sq., Saxii Onomastic. Liter. Tom. V. pag. 578 sq.), Davisii autem editio a. 1706 prodiit. Potius suspicarer, ipsum Fabricium aut descripsisse hæc, aut saltem describenda curasse.

Sed his missis ad codices et editiones commemorandas transeamus, et ita quidem, ut prius de Comm. de B. G., deinde de Comm. de B. C. agatur.

---

8) Ita legitur in fronte Fabriciani; sed ex cod. *Q* nihil usquam notatum reperire potui; codex *Aim.* raro laudatur.

I. COMMENTARII DE BELLO GALLICO.

Sunt, quod iam dixi in præfatione Comm. de B. G. (pag. IV), *duæ codicum quasi familiæ* 9). Hoc ita esse tam est apertum, ut etiam Oudendorpius, qui initio editionis suæ codices secundum eorum ætatem laudasset, procedente opere intelligeret, eos ex duobus fontibus fluxisse. Ad B. G. 2, 23, 2 hæc adnotavit: "*Coniecerunt* mei longe plurimi, ut 3, 6 et sæpe. sed *dederunt* exhibetur ab MStis Ursini, Scal. Cuiac. Andin. Leid. primo, et Oxon. qui codices ex diverso exemplari, quam alii, videntur esse descripti, quod multis locis patere potest." Cum his conferantur quæ notavit ad 3, 28, 2. Hos autem codices revera *optimos* esse vidit ad 7, 5, 6: "Ex hoc loco rursus patet, ex diversis exemplaribus descripta fuisse illa, quæ nunc habemus, quorum optimum fuit illud, unde propagata sunt MSS. Andin. Cuiac. Ursin. Oxon. Scalig. et Leid. prim." Cum his cfr. ad 7, 45, 2.

Vidit igitur Oudendorpius hos codices optimos esse; sed quodnam inde oriretur editoris officium, ut potissimum ad horum codicum fidem textum, qui vocatur, scriptoris constitueret, ceteros autem codices, qui numero plures sunt, parum aut nihil

9) Suspicatus eram hanc codicum diversitatem ex iis explicari posse, quæ in nonnullis codd. addita leguntur: *Julius Celsus Constantinus V. Cl. legi* vel *emendavi*; item *Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi* (vid. Oud. ad init. B. G.); sed quum eadem diversissimis codd. adscripta esse videantur (ita priora et in *Andino cod.* et in *Egmondano* reperiuntur), nihil ex iis concludere audeo. In Havn. A. nihil eiusmodi reperitur.

curaret, minime perspexit; quin quum in optima codd. familia alteram scripturam inveniret, in deteriore alteram, non vidit optimorum librorum scripturam recipiendam esse, sed ex utraque scriptura tertiam aliquam sæpe composuit, quam a Cæsare non esse profectam non difficile erat ostendere. Vide in mea editione V. L. ad 2, 8, 2, pag. 71; 5, 44, 10 et 11, pag. 218; 7, 11, 8, pag. 299; 7, 70, 3-4, pag. 371 sq.; 7, 86, 6, pag. 396; 8, 7, 4, pag. 412; 8, 14, 2, pag. 422; 8, 15, 5, pag. 424 sq.; 8, 43, 2, pag. 459 sq.; 8, 43, 5, pag. 460 sq.; 8, 44, 1, pag. 461. Quid in hac re futuro Cæsaris editori relictum sit, apparatus criticus, qualis a me inde a *quinto* libro digestus est, abunde, spero, docebit.

1. 2. Sed inter optimos codices duo præ ceteris excellunt, *Andinus* et *Oxoniensis*, quorum uterque solos Comm. de B. G. habet. Codicem *Andinum* Andibus apud Claudium Menardum inspexit J. F. Gronovius eoque vix meliorem visum esse testatur (Obss. IV, 8 p. 601 ed. Platn.). Huius codicis excerptis, ab Abrah. Gronovio ex avitis schedis descriptis, usus est Oudend. (Præf. pag. VIII); ad quem autem hic codex, dignissimus utique, qui iterum conferatur, quum multis locis de eius scripturis non constet, pervenerit aut ubi sit, reperire non potui. Cum eo plerisque locis consentit *Oxoniensis*, qui in Collegio Mertonensi servabatur aut, quod malim, servatur, adeoque is esse videtur, qui in Bernardi Catalogo Librorum Manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ (Oxonii 1697, 2 Voll. fol.) T. I. part. II pag. 23 No. 774. 307. commemoratur.

Hic codex, quem Jos. Wasse contulit, quingentorum annorum ætatem habere et cuncta fere locorum virorumque nomina omittere 10) dicitur (Oud. Præf. pag. VII). Hunc codicem cum Andino plerumque consentire, iam Oud. vidit; sed, si iis fides haberi potest, qui eos contulerunt, non adeo consentiunt, ut *unum* modo codicem esse quisquam suspicari possit (cfr. l. c. pag. VIII); vid. V. L. ad 5, 16, 2; 5, 35, 8; 5, 36, 4; 5, 52, 1; 5, 56, 3; 6, 10, 2; 6, 43, 5; 7, 66, 7; 7, 83, 5; 7, 86, 3; 8, 41, 5. In his omnes illos locos omisi, ubi alterutrius tantum codicis scriptura affertur. Quanti autem hi codices faciendi sint, ex iis locis apparet, ubi soli veram lectionem dederunt: vid. V. L. 1, 34, 1; 6, 9, 8; 6, 25, 4; 6, 34, 5-6; 7, 47, 5; 7, 58, 3; 7, 86, 6; 8, 7, 4.

3. Post hos commemorandus videtur *Havniensis A* 11), quem non propterea hoc loco posui, quod a me collatus est, sed quod re vera hic commemorandus esse videtur. Est codex membranaceus, forma maxima, sed non admodum antiquus; olim (præf. libr. de B. G. pag. V) eum ad seculum 13 referendum putavi; sed nunc video fieri posse, ut seculum 14 aut sec. 15 initium non excedat. Descriptum autem ad vetustissimum exemplum fuisse minime dubito: ostendunt hoc vacua spatia a librario relicta, sicubi, quæ in codice erant, legere non

10) Hinc explicari potest, qui factum sit, ut 5, 20, 1 *Imanuentii* nomen solus Havn. A. servare videatur, in quo scribitur *Imanuetitius*.

11) Vid. Catalog. Bibl. Thott. Tom. VII pag. 319 No. 543 et Præfat. libr. de B. G. pag. V.

poterat; ostendunt hoc antiquioris orthographiæ vestigia: ita accusativos in *is* servat, ubicumque de loci interpretatione dubitasse videtur; genitivi vocabulorum, quæ in *ius* exeunt, simplici *i* scribuntur in nominibus propriis, in aliis vulgare scribendi genus restitutum est 12). Codicem autem, qui ad legendum minime difficilis est, in Gallia descriptum fuisse, inde constare videtur, quod *longua* et eiusmodi alia sæpius reperiuntur. Idem probare videntur argumenta, quæ eadem manu margini adscripta sunt: sic ad B. G. 1, 12, 1 *flumen est Arar*, margo habet *Flumen Saone*; 7, 63, 8 ad marginem legitur *Penitudo heduorum*. Librarium autem admodum indoctum fuisse, ex multis locis apparet, ubi notissima vocabula male divelluntur (sic 8, 36, 1 *excedere fugere* scripsit pro *ex cæde refugere*); sæpissime aliquid omisit, maxime ubi idem vocabulum intra breve spatium repetitur; sed quæ omissa sunt, plerumque aut supra versum aut in margine partim eadem partim alia manu, quæ tamen non videtur recentior esse, adduntur. Sed hic homo, qui codicem correxit, librario non fuit doctior: sic, ut uno exemplo contentus sim, sæpissime *ab* ante consonam scriptum fuit, sed plerisque locis littera *b* erasa est; hoc autem non codicis auctoritate factum esse, ostendit B. G. 3, 14, 5, ubi scriptum fuit a librario *absimili*, sed *b* a correctore erasa est. Sed ex hac et librarii et correctoris inscitia etiam hoc sequi videtur, neutrum quidquam aut mutasse aut addidisse, quod ad faciliorem loci alicuius intelle-

---

12) Cfr. Kritz. ad Sall. Catil. 1, 1. (Lipsiæ 1828, 8.)

ctum faceret; quod quanti faciendum sit, omnes norunt, idemque infra ad Comm. de B. C. paucis exemplis illustrabo. Ceterum aliquot locis et maxime in libro octavo margini eadem manu adscriptas habet varias scripturas, quæ ex codice, qui Andino et Oxoniensi simillimus fuit, excerptæ videntur. Aliquot harum scripturarum in edit. Comm. de B. G. attuli (vid. ad 3, 9, 7 pag. 106; 8, 41, 4 et 5 pag. 457; 8, 42, 3 pag. 459; 8, 43, 2 pag. 460); ceteras hic enumerabo: B. G. 2, 3, 1 in textu *Andocumborium;* in marg. *Al. Andebrogium.* — 4, 25, 1 *naves;* in marg. *Al. nauis.* — 8, 14, 2 *copias armatorum in suis instruunt castris;* in marg. *A. copiis armatorum castrorum uias instruunt.* — 8, 15, 5 *sine periculo;* in marg. *A. sine cibariis.* — 8, 15, 7 *texit;* in marg. *A. extulit* — 8, 32, 2 *Auxiliodunum;* in marg. *A. uxiliodunum.* — 8, 36, 1 *a milibus non amplius XII;* in marg. *A. intra mil'. pass. X.* — 8, 36, 3 *fere consuetudo est;* in marg. *Al. fere consuet.* (voluit *fert cons.*, ut Andin. et Oxon.). — 8, 38, 3 *Guttruatum;* in marg. *A. maturatum.* — 8, 38, 5 *concursu;* in marg. *A. consensu.*

4. Sequitur *Leidensis primus*, quem Oud. in Præf. pag. V descripsit. Habet, ut Havn. A, omnes de Cæsaris bellis commentarios, sed non admodum antiquus esse videtur. Non miror equidem, Oudendorpium, qui hunc solum ex optimis codd. tractavit, eum maximi facere; est utique bonus codex, sed non adeo bonus, ut lectiones ab eo uno oblatas in textum recipere velim; etenim non raro scripturæ mutatæ sive, ex librarii sententia, emendatæ repe-

riuntur. Harum aliquot exempla ex Comm. de B. C. excerpta, infra afferam.

5. *Scaligeranus* a Dionysio Vossio cum ed. Plantiniana (Antverp. 1574) collatus, omnes commentarios habet; excerptis eius, quæ in bibliotheca Leidensi servantur, usus est Oudend. (Præf. pag. VIII). Mirum est autem, Oudendorpium, qui h. l. dicat, codicem a D. Vossio collatum esse Scaligeranum, et ad B. G. 3, 14, 6 *Coll. Voss. sive Cod. Scal.* commemoret, in Præf. pag. XVIII dicere, D. Vossium observationes suas ad MSS. Gruteri collectaneorum, Scaligerani et *sui* codicis fidem confecisse. Quantum equidem scio, Vossius præter Gruteri collationes unum modo codicem habuit, qui quidem Scaligeranus fuisse videtur.

6. Sequitur *Cuiacianus* sive potius excerpta a Cuiacio ex aliquo codice facta. De his ita Gruterus in fronte Fabriciani et in Oud. Præf. p. IX: "Præterea enotavi e Cuiacii Codice varias lectiones, quas e MS. ad oram sui notarat, item emendationes aliquas ipsius nec non expositiones. Erat autem idem liber Bongarsii quoque [mihique reliquit[13]]." Ex his satis apparere videtur, Gruterum nactum esse editionem aliquam horum commentariorum, cui Cuiacius varias scripturas codicis alicuius adscripserat; sed ex Fabriciano patet, hunc codicem minime omnibus locis inspectum fuisse, ut plerisque locis scripturæ eius ignorentur. Ceterum hic codex, qui omnes commentarios habuit, licet ad extremos per-

---

13) Extrema verba in Fabriciano non leguntur.

raro inspectus fuisse videatur, in B. G. ad optimos fere ubique accedit.

7. *Fulvius Ursinus* in *Emendationibus in Cæsarem*, quæ eius editionibus horum commentariorum præmittuntur (equidem potissimum consului ed. Antverp. ex offic. Plantin. 1570), aliquot locis affert scripturas *codicis Faërni*, *Vaticani suique*; ex his Faërni et ipsius Ursini codex, quem in epistola ad Fabium Farnesium, edit. 1570 præmissa, dicit fere sexcentis abhinc annis scriptum fuisse [14], optimi libri fuisse videntur; sed rarius eorum scripturæ laudantur, quam ut quidquam certi de iis constitui possit. Habuit autem Ursini codex omnes commentarios. Ceterum ex ipsis Ursini editionibus horum codicum scripturæ petendæ sunt; nam quas postea edidit Ursinus Notas ad Cæsarem (Fragmenta Historicorum collecta ab Ant. Augustino, emendata a F. Ursino. Fulvii Ursini Notæ ad Sallustium, Cæsarem, Livium cet. Antverpiæ 1595, 8), in iis non suorum solum codicum sed etiam aliorum scripturas attulit. Pagina enim huius libri 2da afferuntur *Nomina Doctorum Virorum, qui vel corrigendis, vel illustrandis nonnullis locis Historicorum, ad quos Notæ in hoc libro eduntur, operam dederunt. Ant. Augustinus. Oct. Pantagathus. Gabr. Faernus. Petr. Ciacconius. M. Ant. Muretus. Latinus Latinius.* Neque his notis Emendationes illas inutiles reddere voluisse videtur, quas suis editionibus ad-

---

14) Quod autem in præf. B. G. p. IV dixi, *Ursini alterum codicem* ad optimos referendum esse, errore factum est, in quem me induxerant Ursini notæ, quales in edit. Jungermani leguntur, et Oudendorpius, qui ipse erraverat.

iunxerat; nam quædam in Emendationibus leguntur, quæ in Notis desiderantur, et in his interdum illæ laudantur: sic pag. 71 (ad B. G. 1, 36, 5): *Faernus, ut alias diximus, legebat futurum;* dixerat autem hoc in Emendationibus. Brantius autem, qui "Ciacconii notas in Commentarios Cæsaris ab A. Schotto, qui illas Roma ἀνεκδότους attulerat, acceptas nunc primum se in lucem dare" testatur[15], Ciacconianas notas suo auctori ac nitori restituere voluit, quæ vero genuinæ Fulvii erant, illi relinquere[16]. Factum inde est, ut in Jungermani editione Ursini et Ciacconii notæ seorsum legantur; sed quam recte eas distinxerit, iudicare non possum. Hoc unum vidi, in Notis Ursini quasdam esse, quæ neque sub eius neque sub Ciacconii nomine in edit. Jungermani leguntur, et alias mutatas fuisse. Cfr. infra ad *B.* C. 2, 43 (post 2, 21, 2).

8. Commemorandus deinde est *Lemaireus B.* sive *codex Parisiensis No.* 5764, qui membranaceus esse dicitur et seculo XI scriptus[17]. Ex eo enotatæ variæ scripturæ aliquot leguntur in editione Parisiensi a N. L. Achaintre et N. E. Lemaire curata, de qua infra dicam. Hic codex, qui omnes commentarios habet, ad optimos utique pertinet, sed

---

15) Excusas autem Ciacconii Notas esse Romæ 1588 ait A. Montanus in præfationibus editionum suarum. Equidem has notas frustra quæsivi.

16) Vide in edit. Jungermani T. 2 pag. 427 et cfr. Jungerm. Præf. T. 2 pag. 2 sq.

17) De hoc et aliis Cæsaris codicibus Parisiensibus vide Hase in Jahns Jahrbücher V, 4 pag. 406 sqq.

negligenter collatus est, adeo ut, quid in illo codice scriptum sit, plerisque locis ignoretur.

9. Sequitur *Petavianus*, ab Jano Grutero ad editionem Gryphianam a. 1538 collatus. Et Fabriciano exemplo, in quo variæ huius codicis scripturæ leguntur, et exemplo editionis Gryphianæ a. 1546, cui easdem Drakenborchius adscripserat, usus est Oudendorpius, qui præterea ipsius Gruteri notas ineditas adhibuit (Oud. Præf. p. VIII sqq.). Hunc codicem, qui omnes commentarios complectitur, in libris de B. G. lectiones ex utraque recensione mixtas habere dixi in Præfat. pag. V. Postea autem animadverti, eum sæpissime ad marginem aut a manu secunda habere optimorum codicum lectiones (vide V. L. 1, 10, 5; 2, 17, 4; 3, 8, 1 et 2; 3, 10, 3; 5, 3, 5; 5, 35, 4; 6, 17, 5; 6, 26, 2; 6, 36, 3; 6, 41, 3; 6, 43, 5; 7, 9, 3; 7, 15, 3; 7, 24, 1; 7, 44, 4; 7, 45, 2; 7, 68, 2; 7, 70, 3 et 4; 8, 8, 2; alibi), unde suspicatus sum, idem etiam alibi factum esse, ubi eius scripturæ cum optimis codd. consentire dicuntur; fuisse itaque videtur codex vulgaris generis, sed ad optimos huius familiæ referendus, qui postea cum uno ex optimis collatus sit.

Reliqui codices omnes deteriores sunt, licet etiam inter eos nonnulli præ ceteris excellant; meliores enim sunt, qui sæpius optimorum codicum scripturas exhibent. Horum omnium antiquissimus et optimus esse videtur

10. *Bongarsianus primus*, a Grutero pluribus locis inspectus et postea ab Oudendorpio collatus, qui eum nongentorum annorum esse dicit (Præfat. pag. IV). Habet solos libros de B. G.

11. Huic proxime accedere videtur *Vossianus primus*, a M. Gudio[18] et postea ab Oudendorpio collatus (Oud. Præf. p. IV sq.). Harum autem collationum diligentiorem esse Gudianam, comparatione aliquot locis facta didici. Errare autem Oudendorpius videtur, qui (Præf. p. XIII) Fabriciano libro adscripta fuisse dicit excerpta ex duobus codd. Vossianis. Deceptum eum fuisse puto, quod sæpe legitur *Voss.* 1 sive *V.* 1, sed Vossianum aliquem secundum nusquam reperi commemoratum; non dubito igitur, quin in Fabriciano unus idemque codex his notis indicetur: *Voss.* 1, *V.* 1, *Voss.*, *V.* Pertinet hic codex, qui solos Comm. de B. G. habet, ad meliores huius generis et non raro cum optimis consentit.

12. Post hos commemorandus videtur *Lemaireus A.* sive *Codex Parisiensis No.* 5763, membranaceus, qui partim nono partim duodecimo seculo exaratus videtur[19]. Habet solos Comm. de B. G. Quantum ex paucis scripturis eius, quæ mihi notæ sunt, iudicare possum, ad meliores referendus est.

Reliqui codices omnes, quorum scripturæ mihi notæ sunt, non magni pretii esse videntur, licet non negem, alium alio paullo meliorem aut deteriorem esse; sed quum Cæsaris textum ex solis optimis codicibus restituendum esse iudicem, ceteros omnes non magni facere possum. Sunt autem hi:

---

18) Vide supra pag. 5 sq. Hunc codicem annorum circiter sexcentorum esse ait Gudius in Fabric. pag. 332.

19) Sic Hase l. c. pag. 406.

13. *Bongarsianus secundus*, pluribus locis a Grutero collatus (Oud. Præf. p. IX et XII); habet solos Comm. de B. G.

14. *Bongarsianus tertius*, aliquot locis a Grutero collatus (Oud. Præf. ll. cc.). Hic codex, qui omnes commentarios habet, Grutero teste post inventam typographiam exaratus est (Oud. ad B. G. 1, 6, 2). Desinunt autem Gruteri notæ et excerpta huius et Palatini codd. in B. Alex. 40, 4, ubi vid. Oud. Quæ desiderantur, aliunde accepit Schneider (Progr. p. 6).

15. *Buslidianus*, paullo uberius tractandus, ut errores aliquot corrigantur. Leguntur enim in Fabriciano excerpta duorum codd. a Lipsio collatorum, qui indicantur notis *b. bb*. Aut alterutrum horum aut utrumque Buslidianum esse, Davisius et Oudendorpius (Præf. p. XIII) suspicati esse videntur ex verbis Nic. Heinsii, quæ in fronte Fabriciani leguntur: "Cæsaris MS. Exemplaria extant Lovanii in Collegio Artrebatensi et Buslidiano et Abbatia Pariensi, qui codex in Charta descriptus est et Antw. ap. Jesuitas codex satis antiquus." Sed ad B. Hisp. 8, 1 Oudendorpius de toto illo Buslidiano codice aquam sibi hærere dicit, et putare se, non illum indigitari a Lipsio, sed ed. Romanam Principem; nam easdem esse semper lectiones[20]). Hæc quum Spohnius legisset, tamquam a se observatum protulit *Buslidianum merum errorem esse*[21]); sed hoc quomodo excerptis suis ex Fabriciano factis

20) Ad B. C. 2, 21, 2 dixerat Oudend., per notam Lb. designari editionem Romanam principem.

21) Vid. Epist. laud. pag. 4 not. 3.

firmari putaverit, dicere non possum; equidem ex Fabriciano contrarium didici. Jam Schneider (Progr. p. 6) observavit, ex Spohniano ad B. G. 2, 10, 5 apparere, Lipsii *b* eum esse, quem Buslidianum vocarunt; idem ego observavi ex Fabriciano: ad 8, 7, 2 Oud. adnotavit a Buslidiano abesse *namque esse undique diligenter demigratum*; absunt ab Lb.; ad 8, 50, 1 Davisius in Curis Secundis ait Buslid. habere *commendaverat*; sic Lb.; ad 8, 52, 1 Oudend. ait Buslid. habere *cum celeritate*; sic Lb. Sed etiam Lipsii *bb*. Buslidianum vocatum esse, alii loci me docuerunt: 6, 17, 5 Buslid. Oud. et Lbb. *neque ut sæpe accidit* (ed. Rom. omitt. *ut*); 6, 38, 1 Buslid. Oud. et Lbb. *ad Cæsarem* (ed. Rom. *apud*); 7, 3, 1 Buslid. Oud. et Lbb. *Citam* (ed. Rom. *Cottam*); 7, 9, 6 Buslid. Oud. et Lbb. *Gergobinam* (sic etiam ed. Rom.); 7, 81, 2 Buslid. Oud. et Lbb. *parent administrare* (ed. Rom. *parant adm.*). Diversos autem codices fuisse, ex multis locis apparet, ubi utriusque scripturæ afferuntur, et inde, quod *b* omnes commentarios habere videtur, *bb* solos Comm. de B. G. Neutrum autem eorum Editionem Romanam fuisse certum est; ex *bb* iam attuli diversas scripturas; *b* ad Romanam propius accedit, sed hanc non esse ex B. Afric. 74, 1 docuit Schneider (pag. 5); ipse ex B. G. pauca addam: 8, 52, 1 *eo* omitt. Lb.; est in ed. Rom.; 8, 52, 5 *se* omitt. Lb.; est in ed. Rom.; 8, 54, 3 *CII legionem* Lb.; ed. Rom. *XIII legionem*.

16. *Carrariensis* a M. Bruto collatus, a quo antiquissimus esse dicitur. Eius non magnum esse pretium iam alii viderunt (vid. Oud. Præf. p. VII); complectitur autem omnes commentarios.

17. *Dorvillianus* ab Oud. collatus; omnes commentarios habet, sed recens est (Oud. Præf. p. VI).

18. *Dukeranus* ab Oud. collatus; recens esse et cum Carrariensi plerumque consentire dicitur; habet solos Comm. de B. G. (Oud. Præf. p. VII).

19. *Egmondanus* a M. Gudio collatus; codex a. 1345 scriptus est et Comm. de B. G. complectitur (Oud. Præf. p. XIII).

20. *Leidensis secundus* ab Oud. collatus; habet omnes commentarios (Oud. Præf. p. VI).

21. *Lovaniensis* a N. Heinsio et J. Lipsio collatus. De Heinsio hæc leguntur in fronte Fabriciani: "*H* significat MS. Nic. Heinsii, qui hunc autorem contulit cum codice veterrimo Societatis Jesu Lovaniensis ante annos sexcentos ad minimum scripto; qui L. Torrentii fuerat olim." Et paullo post: "Heinsii textus est Parisiensis in 12º A. 1561." — A Lipsio (cuius editio erat Ursini Antwerp. 1570) idem codex vocabatur *T*, de quo ita Fabricianus: "Cæterum Heinsii et Lipsii *T* valde conveniunt et pleraque, quæ desunt, utrique desunt, unde Gron. putat per T intelligi Torrentinum, qualem nominat suum Heinsius." Desinit autem B. Afric. 33, 2 in verbis *et quæcumque res ei sup*, unde folia quædam huius codicis periisse verisimile est. Parvi pretii est (Oud. Præf. pag. XII).

22. *Norvicensis* a Davisio (vid. eius Præfat. p. XXVI. XXX ed. Stutg.) et postea a Clarkio collatus, a quo vocatur *Eliensis* (v. Præf. p. XXVIII ed. Stutg.). Habet autem omnes commentarios, sed in libris de B. G. exigui pretii est, licet eum magni fecerint Davisius et Clarkius (cfr. huius notam ad B. G. 8, 23, 5).

23. *Ortelii codex.* In Fabriciano unus ex Lipsii codd. indicatur littera *O.* De hoc leguntur hæc in fronte libri: "Illud *O,* quod Lipsius sæpe citat et tanquam MS. nomen apposuit, Gron. putat fuisse Abr. Ortelii viri magni et Lipsii singularis Amici" (cfr. Oud. Præf. p. XIII). Perraro huius codicis scripturæ afferuntur, neque usquam, quantum reperire potui, ultra B. G. Quod autem Oud. ad B. G. 2, 10, 5 tamquam huius codicis scripturam affert *neu,* errore factum est; nam in Fabriciano non est *L O,* sed post *L* legitur nota aliqua, ad litteram *l* propius accedens, de qua hæc monentur in fronte libri: "sed (nota illa) quam putavi aliquod MS. inclinat ualde ad similitudinem literæ *L* et multi casus et exempla docent eum per (hanc notam) intelligere lego vel L."

24. *Palatinus* pluribus locis a Grutero collatus (v. Oud. præf. p. VIII). Cfr. quæ supra pag. 17 de *Bong. tert.* dicta sunt.

25. *Regius Clarkii* (cfr. eius Præf. p. XXVIII), qui eum aliquot locis inspexit; nam plerisque locis de eius scripturis nihil dicitur. Complectitur autem omnes Commentarios.

26. *Vossianus secundus,* ab Oud. collatus, qui eum corruptissimum esse dicit (ad B. G. 5, 51, 4); deficit in B. Hispan. c. 34 (Oud. Præf. pag. V). Scripturis ex hoc cod. excerptis etiam Clarke usus est (Præf. p. XXVIII).

Supersunt tres codd. inter se fere similes, sed a ceteris paullo diversi. Habent autem omnes solos Comm. de B. G. et cum Ed. Inc. (de qua infra)

fere consentiunt, id quod iam Oud. vidit (Præf. p. XIII).

27. *Gottorpiensis*, qui a me vocatus est *Havniensis B.*, ex bibliotheca Gottorpiensi, ubi eum M. Gudius contulit, in Bibl. Reg. Havn. pervenit (cfr. Oud. Præf. p. XIII, meam Præf. p. V sq.).

28. *Leidensis tertius*, a. Chr. 1458 scriptus, ab Oud. collatus est (Præf. pag. VI).

29. *Vossianus tertius*, ab Oud. collatus (Præf. l. c.).

Habuit præterea Oudendorpius specimina duorum Codd. sibi ab *J. Bouhierio* missa; hos autem nullius pretii esse ipse vidit (Præf. pag. XIV). De iis autem codicibus, quos ceteri Cæsaris interpretes (ut Brantius, Ciacconius, Hotomanus, Sambucus, alii) aliquoties laudant, iudicium ferri nequit; nullus tamen eorum magni pretii fuisse vidétur. *Schedæ* autem *Pulmanni* (Oud. Præf. p. XIII), quibus pretium aliquod Oud. tribuit, nequaquam variæ scripturæ sunt ex uno aliquo codice excerptæ, sed lectiones undecumque corrasæ, ne coniecturis quidem exceptis. Didici hoc ex accurata harum scripturarum collatione, maxime in libris de B. C. facta (cfr. V. L. ad B. C. 1, 15, 5; 1, 21, 6; 1, 26, 1; quæque infra dicentur ad B. C. 1, 5, 3).

Jam ad *editiones* scriptorum Cæsaris transeo, quarum plerasque in Bibliotheca Regia Havniensi servatas consulere potui, cuius bibliothecæ præfectorum clarissimorum in me humanitatem satis laudare nequeo. Monendi autem lectores sunt, non esse meum h. l. consilium omnes editiones, quæ exstant, enumerare, quin ne eas quidem omnes, quas

mihi conspicere licuit, sed eas solas, quæ criticum usum habere videntur quæque aut a me ipso inspectæ sunt, aut quarum cognitio ad historiam horum librorum criticam necessaria est. Ad plerasque autem F. A. Eberti Allgemeines Bibliographisches Lexikon laudavi, ut iis consultum esset, qui eas melius cognoscere cupiant; descriptiones enim eius accuratissimas esse usu cognovi.

Editio Princeps est *Romana a.* 1469 fol. (Rome in domo Petri de Maximis). In exemplo Bibl. Reg. Havn. primæ paginæ hic titulus appictus est: *C. Julii Cæsaris belli Gallici Commentarius pr.* Ad calcem legitur, appicto item titulo, *Jo. An. epī. Alerien. epta* (Joannis Andreæ episcopi Aleriensis epistola, cfr. Ebert No. 3247), qui se perfunctorie hos commentarios recognovisse fatetur. Est autem hæc editio, quæ signaturis, quas vocant, omnibus caret, ad codicem vulgaris generis neque eleganter neque emendate excusa. Oudendorpius huius editionis excerpta habuit a Perizonio descripta (Præf. p. XV). — Carui autem *secunda editione Romana*, 1472 fol. (Ebert No. 3249), quam Davisius habuit (Præf. p. XXV. XXX), sed non ubique eius scripturas attulit. Eam a priore diversam esse Schneider testatur (Progr. p. 7) [22].

Sequitur pulcherrima *editio Veneta* apud Nicolaum Jenson 1471 fol. (Ebert No. 3248). Etiam hæc editio, quæ omnibus signaturis caret, ad vul-

22) Davisius ad B. C. 2, 6, 3 affirmat, Hotomanum *antiquum suum codicem* appellare editionem Rom. 1472, quod quam verum sit iudicare nequeo.

garem codicem excusa est, sed paullo meliorem eo, ex quo Romana editio. Consentit sæpe cum Carrariensi et Dukerano. Eam nondum viderat Oud., quum Cæsaris scripta edebat, id quod ipse testatur ad Sueton. Aug. c. 59 p. 263 et Calig. c. 22. p. 502.

Rarissima est editio librorum de B. G. et vitæ J. Cæsaris, quam vulgo ab J. Celso scriptam putabant 23), a. 1473 sine typographi nomine edita 24), quæ ab Oud. *Editio Incerta* appellata est. Dibdin (in Bibl Spencer. T. 3 pag. 247 sqq.) et cum eo Ebert (No. 3250) ei hunc titulum tribuunt: *Julii Celsi tractatus de vita et rebus Jul. Cæsaris. Cæsaris commentarii de bello gallico.* Sed exemplum Bibl. Reg., in quo priore loco positi sunt Cæsaris Commentarii (qui implent folia 71) deinde Vita Cæsaris (fol. 82), titulo caret, quod etiam ei exemplo (nisi hoc ipsum est) accidisse videtur, ex quo Cæsaris vitam Grævius edidit (vid. Præf. ed. Amstel. 1697). Typorum forma Gothica est et siglis abundat; omnibus autem signaturis caret hæc editio, quæ neque elegans est et mendosissima. Ceterum non continua scriptura excusa sunt scriptoris verba sed quasi

---

23) Nunc constat hunc libellum a Petrarcha scriptum esse; vid. *F. Petrarchæ historia Julii Cæsaris. Auctori vindicavit, secundum codicem Hamburgensem correxit, cum interpretatione Italica contulit C. E. Chr. Schneider.* Lipsiæ 1827. 8.

24) Hanc editionem *Eslingæ per Conrad. Fyner* excusam esse, iam legitur in Catal. Bibl. Thottianæ (unde in Bibl. Reg. Havn. migravit) T. VII pag. 110 No. 2242. Typographum igitur iam agnoverat is, qui hunc Catalogum confecit, quem Cl. Er. Nyerup, virum harum rerum peritissimum, fuisse ex ipso audivi. Idem a Spencero observatum esse ait Dibdin (l. c.) quem Ebert secutus est.

per capita divisa; ad singula autem capita novus versus incipit, cui appingendis litteris initialibus aut vacuum spatium a typographo relictum est, aut in vacuo spatio magno littera ipsa initialis eadem typorum forma, qua reliquus liber excusus est, adscripta invenitur, ne pictor scilicet erraret; in exemplo Havniensi litteræ initiales pictæ desiderantur. Descripta est hæc editio ad codicem, qui codd. Havn. B., Leid. tertio, Voss. tertio simillimus fuit, id. quod iam supra monui (pag. 20 sq.). Oudend. eum contulit (Præf. pag. XV) idque, quantum observavi, satis accurate, licet plurimos errores eius tacite prætermiserit.

Sequitur *editio Mediolanensis* per Antonium Zarothum Parmensem a. 1477 fol. (Ebert No. 3251). In fronte huius editionis legitur epistola Petri Justini Philelphi ad Johannem Simonetam, cui hæc subscripta leguntur: "Mediolani ex ædibus meis XV Kalendas decembres. Anno a natali christiano 1476." In hac epistola de Cæsaris virtutibus eiusque scriptorum utilitate agitur, sed de editionis fontibus nihil dicitur. Similis est hæc editio Romanæ principi, sed tamen tot habet sibi proprias scripturas, ut ex alio codice aut excusa aut saltem emendata esse videatur. Commentarios sequitur Raymundi Marliani Index Commentariorum G. Julii Cæsaris. Habuit hanc editionem Oud. (Præf. p. XV).

Repetita est hæc editio *Mediolani* apud Philippum Lavagniam Mediolanensem 1478 fol. In hac editione (saltem in exemplo Bibl. Reg.) omissa est Philelphi epistola, sed priori adeo similis est, ut non possit non ad eam excusa esse. Paucissimis lo-

cis ab ea discedit, ubi aut illius errores corrigit aut novos committit (cfr. V. L. ad B. G. 7, 71 p. 373; 8, 27 p. 439). Utraque editio signaturas habet, sed folia non numerat.

Carui autem *editione Tarvisina*, Tarvisii apud Mich. Manzolinum 1480 fol. (Ebert No. 3252); carui etiam eius repetitione, Venetiis apud Oct. Scotum 1482 fol., qua Davisius usus est (vid. Præf. pag. XXVI. XXX). Sed inspexi *editiones Venetas* a. 1490. (per magistrum Theodorum de Regazonibus de Asula), a. 1494 (per Philippum de Pinciis Mantuanum), a. 1499 (Venetiis sumptibus dñi Benedicti Fontana) fol. In tribus his editionibus, quæ signaturas habent sed folia non numerant, post bellum Hispaniense legitur *epistola Hyeronimi Bononii Tarvisini ad Antonium Zoianum Vicentinum*, in qua se hos commentarios præcipiti quadam lectione percurrisse scribit. Hanc epistolam sequitur *eiusdem Hieronymi Carmen ex illustrium operum argumentis*; post hoc carmen legitur Marliani index. Videntur igitur hæ editiones ex ed. Tarvisina repetitæ esse; sed si ex iis ad Tarvisinam ipsam concludere licet, hæc mera repetitio est edit. Mediolanensis a. 1478; nam etiam errores eius plerumque fideliter repræsentant, licet quævis earum suos sibi proprios errores habeat (cfr. V. L. ad B. G. 7, 35 p. 326; 7, 64 p. 364; 7, 82 p. 391; 8, 19 p. 430; 8, 26 p. 438). Indignæ autem visæ sunt hæ editiones, quæ iterum conferrentur; Oudendorpius usus est editione a. 1494 (Præf. p. XV).

Carui autem editionibus *Phil. Beroaldi* Bononiæ apud Benedictum Hectorem 1504 fol., s. l. (Lugd.)

1508 et 1512, 8. (Ebert No. 3253). Davisius edit. a. 1508 inspexit (Præf. p. XXVI. XXX); sed ex paucis lectionibus, quæ ex hac editione laudantur, de Beroaldi in Cæsarem meritis iudicare non possum. Teste Schneidero (pag. 7) a prioribus editionibus non magnopere discedit.

Multo autem magis dolui deesse mihi *editionem Juntinam*, a Luca Robia curatam, Florentiæ apud Phil. Giuntam 1508, 8. (Ebert No. 3254). Contulit hanc editionem I. M. Brutus, sed postea nemo (cfr. Oud. ad B. C. 3, 14, 2). Teste Schneidero (pag. 7) L. Robia primus ab editionibus prioribus maiorem discessionem fecit, ad unius haud dubie codicis et boni normam commentarios refingens; eius autem repetitionem esse edit. Venetam a. 1511 idem statuit (pag. 9).

Sequitur *editio Veneta* per Augustinum de Zannis de Portesio a. 1511 fol. (Ebert No. 3255). Post titulum legitur epistola Lucæ Olchinensis, artium et legum professoris, ad Rosellum de Rosellis Patavum. In hac epistola testatur, se Cæsaris commentarios incredibili ardore corrigendos suscepisse et collatis multis exemplaribus, Beroaldi, M. Antonii et aliorum trium eruditissimorum virorum, Cæsarem mendosum, claudum, corruptum in pristinum candorem deduxisse. Hæc editio inter eas, quas ipse tractavi, prima ad codicem optimi generis excusa est; habet autem ad marginem argumenta, post titulum *Commentariorum Cæsaris Tabulam* (i. e. indicem historicum), ad calcem Marliani indicem; præterea imaginibus ornata est. — Ei quoad externam formam prorsus similis est *ed. Veneta* per

Aug. de Zannis a. 1517 fol. Habet epistolam Lucæ Olchinensis; eadem autem typorum forma est, eædem imagines; sed non est repetitio prioris, quod Ebert statuit, sed textum Aldinum repræsentat; habet etiam Marliani indicem emendatiorem. Aliquot locis hanc editionem Oudendorpius inspexit.

Sequuntur *editiones Aldinæ* in 8vo, ab Joan. Jucundo Veronensi curatæ; ad calcem prioris legitur: *Venetiis in Aedibus Aldi, et Andreæ Soceri,* 1513 *Mense Aprili* (Ebert No. 3256); in posteriore folium singulare post bellum Hispan. hanc habet inscriptionem: *Venetiis in Aedibus Aldi, et Andreæ Soceri, Mense Ianuario* 1518; post indicem autem Marlianum, qui in utraque editione emendatior esse dicitur, legitur *Venetiis — mense Novemb.* 1519 (Ebert No. 3258). Ad harum editionum rationem melius cognoscendam utile esse videtur ex epistola, qua Joan. Jucundus Juliano Medici editionem priorem inscripsit, quædam excerpere: *C. Iulii Cæsaris commentaria, cura nostra emendata in manus eruditorum sub tuo nomine exeunt. quæ quanto reliquis, quæ hactenus impressa circumferuntur, castigatiora sint: cuicunque ea conferre libuerit, cognitu erit facillimum. Ego quidem in eo multum elaboraui: conquisiui multa tota gallia exemplaria: qua in prouincia, quod multa eo semper ex Italia translata sunt: atque ea minus prædæ exposita, ac bellis, fuerunt: multo incorruptiora uolumina cuiusque generis reperiuntur: contuli omnia: diligenter excussi: neque meo tantum iudicio contentus fui: sed cum multa undique collegissem: eruditos plures demum Venetiis conuocaui: eorumque ingeniis omnia subieci.*

iudicanda: neque quicquam non perpensum. ex quo effectum est: ut pauca admodum restent: quæ in suum nitorem restituta non sint. sed et eas fortasse aliquis aliquando maculas deterget: nobis id satis sit egisse: ut perpaucæ omnino reliquæ sint. Quod autem Schneider ait (pag. 8), Jo. Jucundum ex edit. Juntina partem suarum emendationum hausisse, ubi autem ab ea discedat, vel minus bonæ indolis codices, quamquam non deterrimos, vel suum iudicium, vel virorum doctorum Venetiis tum una viventium coniecturas secutum esse, hoc fortasse de minoribus commentariis valet, de Comm. autem de B. G. non valet, si verum est, editionem a. 1511 ad editionem Juntinam excusam esse. Utramque per totum B. G. contuli; in ed. 1511 optimorum codd. scripturas sæpe receptas vidi, sed longe sæpius in edd. Aldinis leguntur, ut nequaquam dubitem, Jucundum aut unum aut plures codd. ex optimo genere (nam non raro Aldinæ lectiones codd. Andino et Oxoniensi firmantur) habuisse, licet non negem, aliquoties coniecturas in textum receptas videri. — Editio a. 1519 (qua maxime usus sum, alteram autem, ubi opus esse videbatur, inspexi) ad priorem ita excusa est, ut paginæ paginis fere ubique respondeant, errores autem ed. 1513 (quorum index fere octo paginas implet) plerumque corrigantur. Imagines autem in ed. 1519 elegantiores sunt quam in ed. 1513, duæque in illa sunt tabulæ geographicæ, quarum prior tantum in hac reperiuntur. Omissum est autem in titulo ed. 1519 indicium Litterarum Max. Pontificum, *ne quis libros cura nostra excusos imprimat cet.* cum ipsis litteris, quæ

in ed. 1513 post errorum indicem leguntur; omissa est etiam tabulæ geographicæ descriptio, quæ in ed. 1513 eam sequitur (*Aldus Studiosis S. cet.*).

In his editionibus describendis paullo longior fui, quoniam in libris de B. G. textum longe emendatiorem, quam qui nunc vulgo circumfertur, exhibere mihi videntur. Neutra autem earum Oud. usus est, qui ubi Aldinam laudat, aliquam ex Manutianis dicere censendus est. Laudat tamen interdum et Aldinam et Manutianam, sed hoc suo periculo fecisse videtur et omni fide in hac re indignus est. Sufficiant aliquot exempla. Ad B. C. 3, 8, 4 ex Ald affert *conspectum*; sed in utraque Ald. est *complexum.* — B. C. 3, 73, 4 ex Ald. affert *cuiusvis*; sed in utraque Ald. est *cui uis.* — B. C. 3, 78, 5 *ecquid* ab Aldo profectum esse dicit; sed in utraque Ald. est & *quid.* — B. C. 3, 111, 2 ex Ald. affert *quæ proelio*; sed in utraque Ald. est *prælioque.*

Hæ editiones sæpe repetitæ sunt, ut a Phil. de Giunta, Florentiæ 1514, 8, et per heredes Philippi Juntæ 1520, 8 (Ebert No. 3257); harum neutram vidi. Ipse autem aliquoties inspexi *editionem Basileensem*, quæ Jucundi Epistolam, Aldinas tabulas indicesque repetiit (Basileæ, pridie calendas Januarias. Anno M. D. XXI. Excudebat Thomas Vuolff. 8). Hanc ab Oud. visam non esse inde apparet, quod in editionum indice eam ad annum 1531 cum aliis falso refert (Præf. p. XXIII). Qui autem factum sit, ut Dæhne, qui eam a se adhibitam esse testatur, de anno eius dubitare potuerit (*anni, ut putatur*, 1521, Præf. p. V), equidem ignoro. — Ad Aldinas editiones excusa videtur etiam *editio*

Gryphiana (Lugduni apud Seb. Gryphium) 1536, 8. Est autem in hac editione *Index rerum memorabilium, quæ in commentariis Cæsaris habentur*, quem in superioribus non inveni, sed sæpius in recentioribus. Ei non magnam curam impendi.— Paullum autem ab Aldino textu recedit *ed. Gryphiana* (Lugd. apud Seb. Gryphium) 1543, 8, quæ repetita est ibid. ap. eumd. 1551, 8, et 1556, 8. Hæ editiones adeo similes sunt, ut paginæ paginis ubique respondeant. Repræsentant plerumque Aldinum textum, sed aliquoties codicis alicuius auctoritate mutatum, qui Havniensi A. simillimus fuit. Exempla aliquot dedi ad B. G. 8, 19, 1 pag. 429; 8, 21, 1 pag. 432; 8, 26, 4 pag. 439; nam quæ ibi in ed. 1551 exstare dixi, etiam in ed. 1543 leguntur. Ad marginem autem appositæ sunt variæ scripturæ, quæ partim ex edd. antt. (maxime, quantum iudicare potui, ex ed. Rom. 1469 et Venet. 1471) partim ex cod. aut codd. excerptæ videntur. Has scripturas cum And., Oxon., Havn. A. consentire monui ad B. G. 8, 55 pag. 478. Præterea B. G. 1, 43, 6 cum Havn. A. consentiunt in scriptura *referebat* (Andin. et Oxon. habere dicuntur *docebat. Referebat etiam*); B. G. 1, 52, 4 cum Havn. A., Andin., Leid. prim., Cuiac., Voss. pr. pro V. L. habent *relictis*. Dignæ utique videntur hæ editiones, quæ diligentius inspiciantur, quam a me adhuc factum est. Ceteras autem Aldini textus repetitiones non curavi.

Prima ab Aldino textu longius discedit *editio Vascosana* (Parisiis imprimebat Michael Vascosanus sibi et Johanni Rogny) 1543, fol. (Ebert No. 3260). De huius pulcherrimæ editionis subsidiis hæc in

Præfatione leguntur: *Usi sumus non paucis uenerandæ antiquitatis exemplaribus: quibus diligenter collatis, quæ nobis recta uidebantur, adhibito iudicio secuti sumus. Quam ob rem summa est iis habenda gratia, quorum beneficio non mediocriter adiuti sumus: in primis consultissimo iudici atque doctissimo Ranconeto, qui nobis uetus exemplar manuscriptum commodauit: Io. Grolierio doctissimo atque optimo uiro, qui Venetiis allatum ueterem codicem eleganti manu depictum, quo Jo. Baptista Egnatius utebatur, ad nos misit. Nauarræ item gymnasio, a quo duo uetustissima exemplaria accepimus. Usi etiam sumus G. Budæi et Jac. Tusani uirorum doctissimorum obseruationibus.* Etiam in hac editione repetita est Iucundi epistola et tabulæ geogr. atque imagines Aldinæ. Ad calcem autem leguntur Marliani index et index in Comm. Julii Cæsaris. In textu constituendo adhibiti videntur codices optimi plerumque generis; non pauci errores, qui in Ald. ex edd. primis servati sunt, hic emendantur; sed non raro referuntur scripturæ ex editionibus ante Ald. excusis; interdum etiam coniecturæ receptæ videntur; ad marginem leguntur argumenta et variæ scripturæ aliquot. Usus est hac editione Oudendorpius. — Solus textus Comm. de B. G. iterum elegantissime excusus est *Lutetiæ apud Vascosanum*, uia Jacobæa ad insigne Fontis. 1551, 4. Hanc editionem a priore dissentire ostendunt scripturæ ad B. G. 8, 36 pag. 449 et 8, 54 pag. 477 enotatæ; utramque autem per omnia inter se conferre non videbatur operæ pretium.

Vascosanam editionem repetiit fere *Rob. Stephanus* (Lutetiæ, ex officina Rob. Stephani typographi regii) 1544, 8. (Ebert No. 3261). Post titulum leguntur hæc: *Rob. Stephanus typographus Regius Lectori. Ne forte silentio nostro nihil præter aliorum editiones attulisse uideamur, hoc tantum testari satis uisum est, ueterum codicum auxilio, et amicorum, eorumque non quorumlibet, sed qui in emendandis ueteribus tum Græcis tum Latinis iudicio polleant, quiue nobis, Reip. nomine, siquid illis otii a suis datur negotiis, in eiusmodi rebus operam dare solent, multa esse in hoc quoque auctore restituta, quæ illi sunt aliquando nominatim edito libello indicaturi. Vale, et nos iuua quantum potes.* Aldi ad lectorem epistolam sequitur Iucundi Epistola; hanc tabulæ geogr. et imagines ad earum similitudinem factæ, quæ sunt in Aldina a. 1513. Post textum leguntur Marliani index et index alphabeticus. Singulari libello adduntur *Eutropii epitome Belli Gallici ex Suetonii Tranquilli monumentis quæ desiderantur*, quæ in Vascosana post præfationem legitur[25]), et *H. Glareani annotationes in Comm. de bello Gallico ac Ciuili.* Typographus editionem Aldinam secutus videtur; paginæ enim Aldinis fere

25) Hæc Epitome, quæ etiam in ed. Manut. a. 1575 et Stradæ legitur, recentioris alicuius fetus est. Initium eius ex Eutropio VI, 17 petitum est; quæ deinde leguntur sunt Orosii Lib. VI inde a cap. 7 usque ad finem c. 16, paucis vel omissis vel additis (maxime ex Eutropio VI c. 17—24); deinde sequitur Eutrop. VI c. 25; denique post quædam verba ex Orosio VI, 17 desumta, reliqua de Calpurniæ somnio, de Spurina haruspice, de Cæsaris virtutibus, de portentis post cædem eius observatis, ex variis scriptorum locis ipse auctor composuisse videtur.

respondent (in Steph. autem paginæ, in Ald. folia numerantur). Accedit hæc editio proxime ad Vascosanam; paucas autem, quas habet peculiares scripturas, utrum ex codice aliquo an ex coniectura prolatas dicam, nescio. Oudendorpius, qui hac editione usus est, eius scripturas plerumque accurate attulit.

Vascosana editio sæpius a *Gryphio* repetita est; ipse vidi editiones apud Seb. Gryphium Lugduni 1545 et 1555 forma 12ma excusas; sibi simillimæ sunt, et paginæ paginis respondent; loco autem Vascosani præfationis in his Aldi legitur. Oudendorpius usus est ed. Gryph. 1546, 12., quam e Vascosana ad apicem excusam esse dicit (Præf. p. X et ad B. C. 3, 111, 1). Idem de edit. a 1545 valere videtur, quam pluribus locis cum Vascosana comparavi; peculiarem tamen ex ea scripturam afferam infra ad B. C. 1, 5, 3. Editionem *Frellonianam* Lugdunensem 1560, 8, qua Schneider usus est (Progr. pag. 9 et 11), neque ipse vidi neque a Bipontinis et Eberto commemoratam reperio.

Post has commemorandæ sunt *editiones Manutianæ*. Pauli Manutii editiones, Venetiis 1559, 8 (Ebert No. 3262) et 1561, 8 (Bipp. Not. Liter. pag. LVIII) non vidi; neque habui primas Aldi Manutii, Venetiis 1566, 8 (Ebert No. 3264) et 1569, 8 (Ebert No. 3265). Usus sum autem *tertia* Aldi Manutii editione, Venetiis 1571 in Aedibus Manutianis, 8vo (Ebert No. 3267). Pauli Manutii ad Paulum Rhamnusium de historiæ laudibus epistolam sequuntur tabulæ geogr. et imagines Aldinæ, sed minus eleganter factæ. Post has legitur Iucundi epistol-

quam sequuntur *C. J. C. Fragmenta a Fulvio Ursino collecta;* textum sequuntur Marliani index, Bruti libellus Variarum Lectionum, index rerum et verborum. Singulari libello adduntur *Scholia Aldi Manutii Pauli F. Aldi N. in C. J. C.*, quæ in hac editione primum legi videntur; saltem epistola, qua hæc scholia Hieronymo Matthæio Romano inscribuntur, data est Kal. Nou. 1570; in his aliquoties laudat antiquum librum Bibliothecæ Vaticanæ, Ursini et Pinellii codices, edd. Beroaldi, Gryphii (a. 1543 aut unam ex eius repetitionibus), Parisinam (nescio quam). Textus ex Iucundi recensione potissimum excusus est, sed interdum ex libris deterioribus aut ex ingenio mutatus. — Eumdem textum servare videtur hæc editio: *Cæsaris Commentarii ab A. Manutio Pauli f. Aldi N. emendati et scholiis illustrati.* Venetiis 1575. Apud Aldum. 8vo. Tabulis geogr. et imaginibus Aldinis accessere novæ, quæ ex ed. Hotomani a. 1574 repetitæ videntur, omnesque hic elegantiores sunt. Præter ea, quæ in priore editione erant, hic habentur *Pons Cæsaris ex plurimorum eruditorum sententia* et *Eutropii Epitome*, quæ supra commemorata est. Scholia in hac editione auctiora sunt, et in iis *antiquum librum suum* aliquoties commemorat. — Editio autem Aldina a. 1580, qua se usum esse scribit Dæhne (præf. p. V.), neque Bipontinis neque Eberto neque mihi nota est.

Manutianis editionibus, quas ipse vidi, tempore prior est prima *F. Ursini*, Antverpiæ ex offic. Chr. Plantini 1570, 8 (Ebert No. 3266); sed quum eumdem textum habeat, qui in illis est, et Pauli Manutii epistolam ad P. Rhamnusium Brutique li-

bellum Var. Lect. repetierit, ad aliquam ex prioribus Manutianis excusa videtur. In hac editione primum leguntur *Cæsaris Fragmenta*, a Fulvio Ursino collecta; de codicibus autem, quos in Emendationibus in Cæsarem commemorat, supra dixi (pag. 13 sq.). Repetita est hæc editio ibid. ap. eumd. 1574, 8; paginæ paginis fere ubique respondent. Accesserunt huic editioni *Scholia Aldi Manutii* et *J. Sambuci Lectiones et Spicilegia quædam in Comm. J. Cæsaris*; hæc spicilegia, quæ duas paginas implent, variæ scripturæ sunt ex aliquot codd. excerptæ. Hac editione Oudend. usus est; ipse priorem sæpissime consului.

Joannis Rosseti Aurimontani editionem (Lausannæ 1571, fol.) vidi quidem, sed raro consului; videtur autem Manutianas potissimum sequi. Additus est *libellus Variarum Lectionum*, ex quo apparet, editorem præter Manutii editionem consuluisse editionem Romanam a. 1472, Gryphianam minimæ formæ (ergo Vascosanæ repetitionem), edd. R. Stephani et Antonii Vincentii, Lugduni 1557, quam alibi commemoratam non reperi. Oudend hanc editionem habuit (vid. Præf. p. XV sq. et ad B. C. 3, 112, 8).

Sequitur *F. Hotomani* editio: C. J. C. Commentarii. Cum scholiis F. Hotomani, F. Ursini, Ald. Manutii. Lugduni 1574, fol. (Ebert No. 3268). In hac editione primum per capita divisa sunt Cæsaris verba, sed longiora illa quam quibus nunc post Jungermanum utimur. Quum ex scholiis Hotomani satis constet, quid in textu mutandum statuerit, textum ipsum, qui Manutianus esse videtur, accuratius conferre nolui.

Jacobi Stradæ editionem, Francofurti ad Moen. 1575 fol. (Ebert No. 3269), Vascosanæ repetitionem esse, Oudend. monuit (Præf. p. X), idque verum esse inveni, quoties eam consului; habet etiam ad marginem Vascosanæ argumenta et varias scripturas; apposuit autem Hotomani capita. Non plane cum Vascosana consentire affirmat Dæhne, qui eam consuluit (Præf. p. VI. cfr. G. Seebodes Kritische Bibliothek a. 1821 pag. 788-791 et 1048-1053). Mihi hæc res non tanti videbatur, ut has editiones per omnia inter se comparandas esse putarem. Leguntur autem in hac editione, quæ imaginibus ornata est, Glareani, Hotomani, Ursini, Manutii Annotationes et complures inscriptiones ab ipso editore collectæ. — Quam eius repetitionem a. 1589 factam commemorant Bipontini pag. LXII, eam non vidi; vidi autem aliam, cui accesserunt *tabulæ topographicæ æri incisæ et imagines præcipuarum machinarum bellicarum, quarum apud Cæsarem mentio est, cum nova explicatione et recensione M. Z. Boxhornii.* Lugd. Batav., Prostant in Officina Elseviriana. 1635. Est prorsus eadem editio, cui novus titulus datus est.

Novam recensionem, sed quæ a Manutiana non multum discedit, instituit *J. Lipsius.* Priorem editionem, Antwerpiæ apud Plantin. 1586, 8 (Ebert No. 3270), non vidi; sed usus sum altera editione, quæ sic inscribitur: C. J. C. Omnia quæ exstant. Jam pridem opera et iudicio viri docti emendata et edita. Lugd. Bat. ex offic. Plantiniana apud Franc. Raphelengium 1593, 8. In epistola ad Chr. Plantinum ait editor se ea, quæ a viris doctis

(in primis Hotomano, Faërno, Fulvio) varie et sparsim annotata essent, sive ab ingenio sive a libris, dilectu quodam adhibito pleraque in contextum ipsum admisisse, quædam sprevisse ut mala aut incerta. Ad marginem adiecta sunt argumenta; textum autem sequuntur Fragmenta et Nomenclator Geographicus, excerptus potissimum e Thesauro Geographico Abr. Ortelii; hunc excipit index rerum et verborum memorabilium. Huic editioni non multum curæ impendi.

Multarum editionum dux fuit, quæ deinde commemoranda est, *Ios. Scaligeri* editio, cuius titulus hic est: C. J. C. quæ exstant: Ex noua et accuratissima viri docti recognitione Ex Offic. Plantiniana Raphelengii, 1606. 8. (Ebert No. 3271). Epistolam (Lipsii) ad Chr. Plantinum sequitur Typographi ad Lectorem epistola, in qua præter alia hæc ait: *Viri illius beneficio perpolitum hunc textum debemus, a quo Cæsariana scripta recensita non nos solum libentes gloriamur, sed et gloriaretur ipse Cæsar.* Habet fragmenta ab alio viro docto aucta, nomenclatorem geographicum indicemque. Scaligerum bonum codicem habuisse constat, sed non pauca ex codicibus deterioribus et ex suis aliorumque coniecturis mutavit. Hanc editionem Oudendorpius non consuluit; quæ ex eius præfatione laudat (pag. XX not.), ea ex Jungermani præfatione hausit. Hoc ne audacius dictum esse videatur, quum præsertim Schneider, qui et ipse vera Scaligerana caruit, *Oudendorpium Scaligeranam editionem accurate contulisse* dixerit (Progr. pag. 9), exemplis aliquot probandum est. B. G. 1, 2, 3 ex Scal.

affertur *quod;* sed *hoc* est in ed. Scal. et Jungerm.; *quod* in ed. Montani. — 3, 9, 2 ex Scal. affertur *quum primum*; sed *quum primum* Scal. et Jungerm.; *quam pr.* Montan. — 3, 21, 3 ex Scal. affertur *structuræ*; sed *stricturæ* Scal. et Jungerm.; *structuræ* Montan. — 7, 20, 1 ex Scal. affertur *fortuito;* sed *fortuitu* Scal. et Jungerm.; *fortuito* Montan. — 8, 16, 3 *in pabulationibus*: a Scal. abesse dicitur *in*; sed exstat in Scal. et Jungerm.; omitt. Montan. — 8, 50, 4 ex Scal. affertur *omni honore et dignitate Cæsarem*; sed Scal. et Iungerm. *omnem h. et d Cæsarem;* illa lectio est in Montan. — B. C. 1, 64, 3 ex Scal. affertur *nec periculo*; sed *neu per.* Scal. et Iungerm.; *nec per.* Montan. — 2, 9, 1 ex Scal. affertur *inhæresceret;* sed Scal. et Iungerm. *adhæresceret;* Montan. *inhæresceret.* — Ex his locis suspicatus eram, Montani editione pro Scaligerana usum esse Oudendorpium; intellexi autem fieri posse, ut aliam quamdam editionem ex recensione Scaligeri (quales permultæ sunt), quam non consului, eius loco adhibuerit, quum nonnulla ex Scaligerana afferantur, quæ in Montani editione aliter leguntur: sic B. G. 7, 23, 2 ex Scal. affertur *hæc*; sed Scal. et Iungerm. *hæ*; Montan. *eæ.* — B. C. 2, 10, 4 ex Scal. affertur *tegulas*; sed Scal., Iungerm., Montan. *regulas.*

Hanc editionem fere omnes ante Oud. editores secuti sunt, paucis tamen hic illic mutatis. Qui autem vera Scaligerana caret, eum tuto uti posse censeo editione *Goth. Iungermani*, Francofurti 1606, 4 (Ebert No. 3272). Habet hæc editio Cæsaris quæ exstant ex nupera Viri docti accuratissima recognitione,

Metaphrasin Græcam [26]) ex bibl. P. Petavii notasque variorum. Iungermanus ipse præter notas ad interpretem Græcum nihil addidit, sed textum in illa capita distinxit, quibus nunc utimur. — Secundam editionem (Francof. 1669, 4), quæ in titulo *auctior et comtior* esse dicitur, mendosam esse alii monuerunt; est tamen ad usum paullo facilior, quum in ea primum adscriptæ sunt capitum sectiones, quæ dicuntur, ad quas notæ referuntur.

Interpretationem potius quam criticam textus tractationem spectavit *Arnoldus Montanus*, qui textui plerumque Scaligerano commentarios aliorum selectos suosque adiecit. Usus sum maxime prima editione, Lugd. Bat. 1651, 8; secundam editionem, Amstelod. 1661, 8, non vidi; sed tertiam, Amstelod. ex offic. Elzevir. 1670, 8 (Ebert No. 3274), quæ eam repetiisse videtur, aliquoties consului. Animadversiones paullo auctiores sunt.

I. Goduini editionem cum interpretatione et notis, in usum Delphini, Lutetiæ Parisiorum 1678, 4 (Ebert No. 3275) vidi sed conferre nolui; laudat aliquoties duos Manuscriptos Thuani.

Sæpe consului editionem *Grævianam priorem*, Amstelod. 1697, 8, quæ textui plerumque Scaligerano (nam ab eo aliquoties discedit, ut B. C. 3, 25, 4, ubi vid. Intt.) adiectas habet *Dionysii Vossii notas et animadversiones* et *eum*, *qui vocatur Iulius Celsus*, ex edit. 1473 repetitum. D. Vossius, licet

26) Hæc Interpretatio ad codicem vulgaris generis non admodum diligenter facta est, adeo ut non multum usum criticum habeat.

valde adolescens has notas conscripserit, multa egregie monuit (cf. Oud. Præf. p. XVIII sq.).

Huic tempore succedit prima *Chr. Cellarii* editio, Lipsiæ 1705, 8, qua usus sum; sæpe deinde est repetita: consului editionem *quartam*, Lipsiæ 1722, 8, et præterea vidi *editionem nouam revisam*, Lipsiæ 1736, 8. Ad interpretationem quædam minime contemnenda attulit.

Sequitur *I. Davisii* editio, Cantabrigiæ 1706, 4. (Ebert No. 3276); animadversionibus aliorum selectis suas nonnullas addidit; textum Scaligeranum aliquoties mutavit, sed pauca, ut mihi quidem videtur, in melius 27). — Hæc editio non multos emtores invenisse videtur, quare a. 1727 ei novum titulum dedit et *Curas Secundas* adiecit (Ebert No. 3277), adiutus editione Clarkiana et exemplo Fabriciano; sed, ut dicam, quod sentio, hæ curæ secundæ plerumque ineptæ sunt.

Melior utique Davisio criticus fuit *Sam. Clarke*, cuius magnifica editio, tabulis æneis ornata, prodiit Londini, Sumptibus et Typis Iacobi Tonson, 1712, fol. max. (Ebert No. 3278). Eam aliquoties inspexi, sed plerumque eius notis contentus fui, quæ in Oudendorpii editione leguntur. Ubi ipse textus inspiciendus videbatur, consului pulcherrimam editionem *ex recensione Samuelis Clarke fideliter expressam* Glasguæ apud R. et A. Foulis 1750, fol. min. (Ebert No. 3287).

Sequitur *secunda editio Græviana*, Lugd. Bat. et Delphis 1713, 2 Voll. 8. Iis, quæ in priore

27) Cfr. J. Perizonii de eo iudicium ad Sanctii Minerv. pag. 213 edit. Amstel. 1714.

editione legebantur, accesserunt notæ Davisii. Hanc editionem, quod non erit inutile monere, plerumque intelligit Oudendorpius, quando de *vulg.* loquitur.

Clarkianam recensionem secutus est *Hermolaus Albritius*, cuius editio prodiit Venetiis anno XII Societatis Albritianæ (1736 aut 1737), 4. Præter textum, in quo constituendo se usum esse scribit Goduini et Clarkii editionibus et editione Græviana a. 1713 et nonnulla vitia emendata esse testatur, dedit interpretationem Italicam. Alterum autem volumen, in quo variorum commentarios repetitum iri promiserat, non prodiit. Hanc editionem non putavi conferendam esse.

Perventum est tandem ad *editionem Fr. Oudendorpii*, Lugd. Bat. et Rotterodami 1737, 2 Voll. 4. (Ebert No. 3282). Quum in hac editione laudanda plerique consentire videantur 28), meum de ea iudicium fere vereor proferre. Dicam tamen id, quod sentio. Vidit quidem, quod iam supra dictum est (pag. 7 sq.), aliquot codices aliis meliores esse, sed, id quod ibidem demonstratum est, quid inde sequeretur non vidit. Longe plurimis locis codices numerat (sic MSS. et Edd. quidam, MSS. 2., MSS. et Edd. plerique cett.), et ex plerisque eorum et editionibus primis optimam scripturam, quæ in editionibus post Aldum fuerat, in peiorem mutavit, ut textus ab eo constitutus multo inferior sit eo, qui ante eum vulgatus fuerat. Quanta autem negligentia in codicum et editionum scripturis indicandis versatus sit, docuerunt me liber

28) Cfr. Schneid. Progr. p. 8 sq.

Fabricianus et editionum a me ipso facta collatio. Ubi autem aliorum observationes excerpserit, ei non ubique fidem haberi posse, unum exemplum docebit. In B. C. 3, 63, 4 scribendum esse censet *milia passuum in circuitu XXXVII mun. erat complexus* cum Lipsio de Mil. l. V. d. 13. Hanc coniecturam Lipsius (l. c. p. 336 ed. Vesal. 1675, 8) minime proposuit, sed ex Appiano (B. C. 2, 61, ubi vid. Intt.), qui Cæsaris munitiones σταδίους διακοσίους καὶ χιλίους complexas esse dicit, numerum, qui apud Cæsarem est (l. c. et 3, 44, 3), augere voluit, ut scriberetur scilicet *centum quinquaginta milia passuum.* Errandi autem caussam Oudendorpio præbuit, quod Lipsius (p. 337) ex Plutarch. Crass. 10 commemorat, Crassi contra Spartacum munitiones complexas esse *trecenta stadia sive milliaria triginta septem cum dimidio* 29). — Ceterum Oudendorpius typographis tradidit exemplum editionis Grævianæ a. 1713, quod ex erroribus inde repetitis apparet; horum aliquot in edit. libr. de B. G. emendavi, alios ex comm. de B. C. infra tollam (ad. B. C. 1, 44, 3).

Præter hanc editionem *duæ minores Oudendorpii* nomen gerunt; priore, quæ Lugd. Bat. 1740, 8, prodiit (Ebert No. 3283), Dæhne et Kreyssig usi sunt, alteram, Lugd. Bat. 1773, 8, ipse usurpavi. In præfatione ait, se denuo ad priscas membranas totos hosce commentarios exegisse atque, ut quam minimis typothetarum erratis deformaretur hæc editio, cautissime curavisse. Multos autem errores ex maiore editione repetitos esse monuit Kreyssig (præf.

29) Oudendorpii errorem repetiit Dæhne ad l. c. pag. 404.

p. V), qui etiam verissime suspicatus est, non maiorem editionem typographis traditam fuisse, sed aliam quamdam (sine dubio Grævian. 1713), in quam non omnes textus emendationes (et maxime eæ, quæ ad verborum ordinem pertinerent), relatæ essent. Res tamen ita instituta esse videtur, ut ad maiorem editionem correctæ fuerint plagulæ, quum in editionibus minoribus errores ex maiore repetiti reperiantur, qui non sunt in Grævianis (sic quæ vitia Kreyssig enumerat, B. C. 2, 38, 3; B. Afric. 15, 1; 43 extr.; ea in Grævianis non sunt; sed B. Afr. 79, 3 etiam in Grævianis legitur *contendit*). Nimium autem huic editioni tribuisse Oberlinum et Dæhnium, idem Kreyssig recte monuit. — Ceterum ed. 1773 altera paullo emendatior esse videtur, quum errores aliquot, quos ex ed. 1740 attulerunt Dæhne et Kreyssig, in hac non reperiantur: B. G. 2,27, 5 ed. 1740 *nequiquam*, ed. 1773 *nequidquam*; 4, 27, 3 ed. 1740 *huc illi*, ed. 1773 *hunc illi*; 5, 27, 1 ed. 1740 *C. Arpinus*, ed. 1773 *C. Arpineius*; B. C. 3, 101, 4 ed. 1740 *adlatus*, ed. 1773 *adlatis*; ibid. 6. ex ed. 1740 exciderunt verba *ceperunt. Sed Cassius*, sed leguntur in ed. 1773.

Repetita est maior Oudendorpii editio *Stutgardiæ* 1822, 2 Voll. 8., sed ita, ut nullum habeat usum criticum. Pessimo enim consilio recens editor neque maioris editionis textum repetiit neque minoris, sed ex utroque suum composuit, quo factum est, ut notæ Oudendorpii interdum ne intelligi quidem possint (cfr. B. C. 3, 101, 4 cum not. pag. 442 extr. et 443). Huius rei multa exempla attulit Kreyssig in adnotatione critica; ipse unum addam,

quod ab eo observatum non est: B. C. 2, 32, 12 in edit. 1773 et Stutgard. legitur *abduxerim*, sed in ed. 1737 est *adduxerim*. Ut de minus commoda notarum dispositione et de typorum erroribus nihil dicam, ad B. G. 4, 4, 3 pag. 297 omissa est Oudendorpii nota, quæ in ed. 1737 legitur pag. 175. 1.; nam minus ægre fero, ad B. G. 5, 31, 1 pag. 428 omissam esse partem notæ D. Vossii et notam Oudend., quoniam quæ in his dicuntur (pag. 249 sq. ed. 1737) ad Cæsarem nihil magnopere pertinent.

Multæ, quæ post Oudend. prodierunt, editiones silentio prætereundæ sunt; ægre autem carui *editione Thomæ Bentleii*, Londini 1742, 8 (Ebert No. 3284). Licet enim observationes Bentleii, quas Oberlinus passim attulit, non magni pretii esse videantur, et *Jacobi Jurini* coniecturæ et emendationes, quæ huic editioni accesserunt, plerumque violentæ sint, tamen libenter vidissem, quibus argumentis ab eo defensæ essent. Ceterum per se patet, Oudendorpio non magis placere potuisse Bentleii coniecturam aliquam (vid. Dæhne ad B. C. 2, 35 pag. 394), quam Davisio accedere Hotomanus potuerit (vid. Oud. ad B. C. 1, 26, 5).

Commemoranda est autem editio *S. F. N. Mori*, Lipsiæ 1780, 8. In præfatione (pag. IV) scribit, se Oudendorpii recensionem repetiisse; sed, quod iam Kreyssig observavit (Præf. p. III sq.), non ipsius Oudendorpii editionem typographis tradidit, sed aliam (fortasse ed. Cellarianam, Lips. 1767, 8) ad Oudendorpianam sæpe sed non ubique mutatam. Quod autem Kreyssig suspicatus est, illam Cellarianam ex editione Græviana a. 1697 derivatam esse, hoc

quam verum sit diiudicare non possum, quum illa Cellariana caream; neque res magni momenti esse videtur 30). Hoc certum est, textum Oudendorpianum neque in Mori editione neque in iis, quæ ex ea derivatæ sunt, fideliter repetitum esse. Ceterum et criticæ et exegeticæ Mori animadversiones sæpe egregiæ, fere semper bonæ et utiles sunt.

Morum potissimum secuti sunt *Bipontini*, Biponti 1782, 8, et Argentorati 1803, 8, qua editione ego usus sum. Ubi autem a Mori textu recedunt, scripturas ab eo in notis probatas receperunt.

Sequitur editio *I. I. Oberlini*, Lipsiæ 1805, 8. Ait Oberlinus in præfatione pag. IV: *Sicubi, quod parce factum, ab Oudendorpiana, quam et Morus suam fecerat, recensione recessi, quæ me ratio mouerit, indicavi.* Sed, quod iam Kreyssig monuit (Præf. p. V sq.), Mori editioni sæpissime adhæsit; ubicumque autem ab ea discessit, minorem potissimum Oudendorpii editionem secutus est. Quas autem ipse addidit scripturæ varietates, eæ adeo negligenter ex Oudendorpianis excerptæ sunt, ut valde erraverint recentiores nonnulli, qui ex iis suas hauserunt 31). Notas, quas ipse adiecit, sæpe utiles esse, nemo ignorat.

Carui editione Parisina a *N. L. Achaintre* et *N. E. Lemaire* 1819-22, 4 Voll. 8, curata; sed non magnum eius desiderium mihi moverunt ea, quæ a Censore, viro historiæ Cæsaris criticæ utique peri-

30) Cfr. tamen notam meam ad B. G. 8, 43 pag. 460.

31) Oberlinus ipse inspexit edit. Mediolan. a. 1478; sed eam bis modo ab eo laudatam reperi, B. G. 7, 64 pag. 286; 7, 71 pag. 291.

tissimo, monita legi in Diariis Literariis Viennensibus, Vol. 27 (a. 1824) pag. 1-25, et quæ Dæhne attulit in Præf. p. IV. Etenim a critico, qui vix suorum codicum numerum novit (ad B. G. 7, 15 ait: *in nostris codd. RR. prope XII numero cet.*), nihil magnopere exspectari potest. Videor autem mihi errasse, quod Herzogii et Dæhnii auctoritate ad Lemaireum potissimum hanc editionem retuli, quum et Censor ille, quem commemoravi, et Schneider (Progr. p. 1) Achaintrium editorem fuisse dicant. Nihilo tamen minus, ne errores orirentur, codices ab eo collatos *Lemaireos* vocavi.

Usus sum autem editione *I. B. Giani*, Mediolani 1820, 3 Voll. 8; sed temporis, quod illi conferendæ impendi, fere poenitet. Secutum se scribit (in præf. pag. VI) Hermolai Albritii editionem, sed, consultis tribus Bibliothecæ Ambrosianæ Codicibus et Oudendorpii editione, eas lectiones, quæ optimæ viderentur, arripuisse. Codices autem, quibus se usum esse scribit, semel tantummodo in Comm. de B. G. commemoratos reperi, ad 1, 18 extr., ubi scripturam, quæ ne Latina quidem est, ex iis se restituisse dicit. Quanta sit Latinæ linguæ peritia, abunde ostendet eius interpretatio B. C. 2, 29.

Commemoranda deinde est editio *C. G. Herzogii*: Comm. de B. G., grammatisch u. historisch erklärt, Lipsiæ 1825, 8. Typographis traditum fuit exemplum aut Mori aut Bipontinæ editionis, mutatis quæ mutanda videbantur. Ubi criticum agit, fere semper infelix est; in magna autem observatio-

num historicarum et grammaticarum mole bona malis mixta reperiuntur[32].

Sequitur *I. C. Dæhnii* editio omnium commentariorum, e recensione F. Oudendorpii passim reficta, Lipsiæ 1825, 12. Hic primus inter recentiores editores veram Oudendorpii recensionem restituere conatus est, sed ex minore potius, quam ex maiore editione. Addidit annotationes criticas, in quibus varias scripturas memoratu dignas et coniecturas passim dispersas commemorare voluit (Præf. p. III) et re vera commemoravit; sed licet non paullum diligentiæ his annotationibus impendisse videatur, tamen sæpe fallit. Novi non multum attulit.

Post hanc commemoranda est *I. C. Heldii* editio Comm. de B. G. (mit Anmerkungen), Sulzbaci 1825, 8. Textum Oberlini repetiit, et præter locum B. G. 4, 27, de quo monui in ed. mea pag. 156, nullum locum memini, ubi ab eo discesserit; sed quæ de textu mutando monuit, plerumque optima sunt, notæ autem grammaticæ et historicæ eiusmodi, ut omnibus scriptoribus, qui in scholis leguntur, talem editorem contingere cupiam.

I. T. Kreyssig, cuius editio prodiit Lipsiæ 1826, 8, textui Oudendorpii passim reficto addidit Adnotationem Criticam, in qua indicavit, quibus locis utraque Oudendorpii, Stutgardiana, Mori,

32) In Herzogii editiones (nam præter hanc edit. libr. de B. G. etiam Sallustii de Coniuratione Catilinæ libro ab Herzogio edito, Lipsiæ 1828, 8, usus sum) cadunt, quæ in editionibus non probanda esse verissime monuit Held (Præf. ad libr. de B. G. pag. VI sqq.).

Oberlini, Dæhnii editiones ab ipsius discreparent; pauca eaque plerumque bona de suo addidit.

A. Möbius (Comm. de B. G., mit geograph., histor., krit. u. gramm. Anmerkungen, Hannover 1826, 8) Oberlini textum plerumque secutus est. Editionem hanc in locis difficilioribus inspexi, sed nihil inveni, quod mihi quidem utile esset. Neque magna sperare potest, qui in præf. pag. XIV in siglorum explicatione narratum invenerit, *Rom.* significare *Ed. Romanam* 1669., 1662. (sic); *Steph.* — *Ed. Rob. Steph.* 1644.; *Strad.* — *Ed. Stradæ*, 1675.; *Vasc.* — *Ed. Vascosanam*, 1643.; *Ven.* — *Edd. Venetas*, 1482. 1513. In magna animadversionum mole bona inesse posse non negem, sed ut librum perlegerem a me impetrare non potui[33].

Recentissima editio est *Antonii Baumstark* (Stuttgartiæ 1828, adhuc 2 Voll. 8). Dicit in præfatione (p. VI), se Dæhnium maxime secutum esse; textui varias scripturas subiecit sine iudicio undecumque corrasas; in libris autem VII et VIII Comm. de B. G. meam potissimum editionem compilavit. Quod autem dixit (præf. p. VII), se *auctore Elberlingio* mentionem fecisse Kreyssigii editionis, monendum putavi, me ei nullius umquam rei auctorem esse voluisse; sed libenter ei, si possim, persuadere velim, ut pluris faciat scriptores veteres, quam ut tales eorum editiones, qualis hæc Cæsaris est, in lucem emittendas censeat.

---

33) Cfr. Annal. Heidelberg. a. 1826 m. Decembr. pag. 1225-1232.

II. COMMENTARII DE BELLO CIVILI.

Horum librorum neque tot *codices* supersunt, quot commentariorum de B. G., neque ullus inter eos tantum præ ceteris excellit, ut ad eius potissimum fidem Cæsaris verba restitui possint. Fere ubique in corruptionibus et interpolationibus consentiunt; ita, ut uno exemplo contentus sim, in nominibus propriis, maxime in Græcis et barbaris, plerumque omnes adeo corrupti sunt, ut ex aliorum scriptorum narrationibus coniecturam facere necesse sit, quodnam nomen a Cæsare positum fuerit, sæpe autem, quem Cæsar nominaverit, prorsus ignoremus. Est tamen aliquod codicum discrimen, sed hoc, ut qui eorum corruptissimi videantur, iidem optimi sint; ii autem, qui ulcera celare non sanare videantur, ubique ab ineptis librariis interpolati sint.

Decem omnino codicum excerptis Oudendorpius usus est, quorum omnium supra mentionem feci; sunt vero hi: *Cuiacianus*, *Leidensis primus*, *Petavianus*, *Scaligeranus*, *Vossianus secundus*, *Bongarsianus tertius*, *Dorvillianus*, *Leidensis secundus*, *Lovaniensis*, *Palatinus*. Ipse contuli *Havniensem A.*; Lemaireorum autem codicum excerpta quædam, sed paucissima, ex Dæhnii editione cognovi. Ex his codicibus quinque (Bong., Dorv., Leid. sec., Lovan., Palat.) plerumque consentire et deteriores esse, ipse Oudendorpius vidit (vid. ad B. C. 1, 68, 2; 1, 74, 7; 2, 31, 6; 3, 110, 2); ad idemque genus referendus est *regius Clarkii*; sed *Norvicensis* sive *Eliensis* ad meliores pertinere videtur. De Lemai-

reis codd. iudicare non audeo, sed *Lemaireus B.* ad meliores accedere videtur, quod etiam de *Ursini* codice valet.

Jam vero afferendæ sunt ad aliquot locos codicum scripturæ, ut facilius appareat, et quinam codd. optimi sint, et quo modo reliquorum scriptura corrupta videri possit.

B. C. 1, 68, 2 meliores codd. (ut Havn. A.), edd. Ald., Vascos., R. Steph., Manut., Scal., Oud. habent: *ipsi erant transscendendæ valles maximæ ac difficillimæ: saxa, multis locis prærupta, iter impediebant.* Sed Bo. 3 et Pal.: *ipsa erant transscendenda valles maxima ac difficillima saxa cet.*; Dorvill. *ipsa erant transscendenda valles maxima et difficillima saxa cet.*; Leid. sec. *ipsa erant transscendenda valle e maxima et difficillima saxa*; Lovan. *ipsi erant* (utrum *erant* in hoc codice legatur, an, quod Oud. putavit, omissum sit, ex Fabriciano diiudicare non possum) *transscendenda vallis maxima et difficillima loca locis multis cet.* Edd. prim. et Ven. 1511: *ipsa erant transcendenda. ualles maximæ* (ed. Rom. *maxime*): *et difficillima saxa: multis loc. cet.*

1, 73, 3. *legionariasque interiiciunt cohortes*; sic edd. Ald., Vascos., R. Steph., Manut., Scal., Oud. — Havn. A. habet *intericiunt*, idque sine dubio in antiquissimis codd. fuit: sed vide, quæ monstra inde pepererit librariorum inscitia: Leid. prim. *interficiunt*; Lovan. *interiaciunt*; Carrar., Pal., Bo. 3, Lb., 3 Oudend., edd. prim. et Ven. 1511 *intermittunt.*

3, 7, 2. *Sed neque ii, sibi confisi, ex portu prodire sunt ausi*; *quum Cæsar omnino XII naves*

longas præsidio duxisset; in quibus erant constratæ IV: neque Bibulus cet. Sic Oudendorpii editiones; sed verum esse *sed neque illi*, quod Oberlinus nescio unde edidit, ex codd. scripturis satis apparet, id quod iam Kreyssig monuit. Vide autem, quid inde fecerint librarii: Leid. prim., Scalig., Voss. *sed neque IIII*; Havn. A. et Cuiac. *sed neque IIII*or; Petav. et Lem. B. *sed neque quatuor*; Lovan., ed. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Strad. *sed neque hi*; Palat. et Dorvill., ex quibus nihil notatum est, habere videntur *sed neque ii*, quod legitur in edd. Ald., Gryph. 1543. 1551., Manut., Scal., Oud.; Cod. Sambuci, Bong. 3., Leid. sec. *sed nequaquam hi*; edd. prim. et Ven. 1511 *sed nequaquam ii.* — Paullo post ex verissima Ursini emendatione (in Notis pag. 232) editur *in quibus erant constratæ IV: neque B.* (hoc iam Scalig. dare voluit; sed quum *neque* typorum errore excidisset, in edd. sqq. ante Clark. omissum erat); sed vide codices: Ursini, Havn. A., Petav., Leid. prim., Scal., Voss., Norvic. *in quibus erant constructæ illi* (*ille* Leid. prim.) *neque B.*; Cuiac. *in q. erant constructæ illæ neque B.*; Lem. B. habere dicitur *in q. erant constratæ ille neque B.*; Bong. tert., Leid. sec., Dorvill., Palat.[34]), edd. prim. et Ven. 1511 *in q. erat etiam ipse illi neque B.*; Lovan. *in q. erant ille neque B.*; edd. Ald., Gryph. 1543. 1551., al. *in q. erat et ipse neque B.*; edd. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Strad. *in q. erat etiam ipse: neque illi B.*; edd. Manut. (1571, 1575), Ursin., Lips. *in q. erat et ipse: neque illi B.*

34) Sic Oudend.; sed in Fabric. Palat. habere dicitur: *in quibus etiam ipse* (aut *ipsi*) *illi neque B.*

3, 107, 1 verum esse *Etesiis*, quod pleræque edd. habent, nemo dubitare potest; sed vide, quid inde fecerint librarii: Petav. et ed. Ven. 1511 *ethesiis*; Havn. A. *ethesus*; Carrar. *Ephesi*; Leid. sec. *a thesus ne*; Dorvill. *et esitatione*; Palat. *et hesitatione*; Lovan. *et hæsitatione.*

Hæc ad codices diiudicandos sufficiunt; unum locum addam, ubi manifestam glossam habent deteriores codices. B. C. 2, 19, 2 in Havn. A., Scal., Leid. prim., [Cuiac., Lovan.[35]], al., edd. Ald., Gryph. 1543. 1551, Manut., Scal., Oud., Mor., Bipp., Dæhn., Kreyssig. recte legitur *quin ad diem conveniret*; sed Bong., Palat., Lb., Leid. sec. *ad diem statutum*; Carrar., edd. prim., Ven. 1511, Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Strad., Cellar., Oberl., Held. *ad statutum diem.* Cfr. etiam V. L. 2, 12, 1.

Jam ergo constat alios codices aliis meliores esse; quæritur autem, qui codex ita inter ceteros emineat, ut contra ceteros omnes audiendus sit. Oudendorpius suum *Leidensem primum* optimum esse iudicavit et ex eo solo sæpius textum mutavit (1, 69, 3; 1, 79, 5 cfr. ad 1, 83, 2); idem de hoc codice Mori iudicium fuit (vid. pag. 430, 442, 447, 490, 515, 552 ed. Oberl.). Non nego bonum codicem esse; sed docet scripturæ varietas, librarium sæpius et verba omisisse (1, 9, 2 et 5; 1, 31, 2; 1, 35, 1; 1, 83, 2 et 3; sæpe alibi) et glossas addidisse (1, 31, 1; 1, 71, 3; alibi) et textum emendare vo-

35) Monendum est, hoc in iis esse ex eorum silentio concludi, qui eos contulerunt.

luisse (1, 1, 1; 1, 28, 1; alibi). Ex mea sententia *Petavianus* hoc codice melior est; sed magni facio librarii mei religiosam inscitiam, ut mihi quidem *Havniensis A.*, qui fere corruptissimus est[36], plerumque optimas scripturas solus servasse videatur. Unum exemplum afferam: 3, 61, 3 ex Pal., Bong. tert., al., ed. Ven. 1471, Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Strad., Scal. al. Oudend. edidit *custodiarum varia diligentia*, quod verum esse non potest; hic habet Havn. A. *uir diligentia*, relicto post *uir* vacuo spatio aliquot litterarum, sine dubio, quod librarius, quid in codice antiquissimo, quem describebat, esset, legere non poterat. Hanc autem lacunam ceteri librarii alii aliter explere conati sunt: Leid. prim., Cuiac., Scalig. *uiria diligentia*; Lovan., ed. Rom., Mediol., Venet. 1511, Ald., Gryph. 1543. 1551., Manut., Ursin., Lips. *uera dilig.*; Petav. et Norvic. *uiribus ac dilig.*, quod sane ferri potest. — Hoc nunc sufficere videtur; alia infra in observationibus meis proferam.

Ut mihi quidem videtur, ad medium, quod vocant, ævum *unus* modo horum librorum codex ex antiquiore tempore pervenerat, in quo folia aliquot desiderabantur, et multa evanida erant, ut legi non possent, multa etiam siglis scripta. Hic postea ita descriptus fuit, ut ea, quæ legi et a librario intelligi possent, omissis lacunarum signis continua scriptura repeterentur; ex hoc apographo omnes, quotquot collati sunt, codices, quorum

36) Nam sæpe vocabula male divellit, sæpe vocabula omisit, sed perraro addidit; nam plerasque earum glossarum, quæ in omnibus codd. sunt, etiam in eo esse, mirum non est.

nullus valde antiquus est, profluxerunt, sed ita, ut alii ex ipso apographo, alii ex eius apographo et sic porro describerentur. Hinc apparere puto, qui factum sit, ut codices corruptissimi quique optimi sint, aliis autem, qui probabiles interdum scripturas afferre videantur, fides haberi nequeat; sed indidem apparet, cur sæpissime operam perdiderint critici, qui vocabula quædam corrupta coniectura sananda esse putarent neque viderent, desiderari quædam, quæ probabili emendatione sanari plerumque nequirent.

Hæc autem ne quis putet a me ficta esse, ut faciliorem emendandi viam reperirem (nam interdum nihil facilius utique est, quam asterisco posito locum præterire), monendum videtur, idem ante me alios vidisse, sed non ita, ut mihi hoc faciendum videtur, in usum convertisse. A facilioribus ad difficiliora transeamus. Post librum secundum multa desiderari viderunt omnes, et certa res est; neque quisquam dubitavit, quin post 3, 50 quædam omissa essent. Hæc autem maiora sunt; sed etiam aliquot verba excidere potuisse ad 3, 22, 2; 3, 54, 2; 3, 65, 4 multi viderunt; deesse autem aliquid Oudendorpius suspicatus est ad 3, 16, 3 et 3, 71, 1; Marklandus ad 3, 38, 4 (Explicatt. Vett. auct. p. 272); ipse infra ad 2, 29; 3, 13, 5; 3, 53, 5 idem monstrare conabor; alias lacunas non paucas in editione horum librorum, quam paro, indicabo. Hic unum modo locum afferam, ubi in antiquissimo codice siglum fuisse videtur, quod a librario non intellectum lacunam procreavit, quam librarii deinde explere conati sunt. 2, 3, 2 Havn. A., Leid. prim.,

Vossian., Leid. sec., Bong. tert., Palat. habent *ex navalibus eorum deducit*; desiderari aliquid facile intelligebatur, neque difficile erat lacunam quodam modo supplere: Norvic. et Petav.[37] *ex navalibus eorum deducit navem*; idem aut *ex nav. eorum navem deducit* est in Reg. Clark.[38]; Scaliger. *navem ex navalibus e. deducit*; ed. Ven. 1511, Ald., Vascos., Steph., Gryph., Manut., Scal., Oud. *ex navalibus eorum unam deducit*, quod in Lovan. et Dorvill. esse videtur; Carrar. et edd. prim. *ex navibus eorum unam deducit*; Oud. coniec. *ex navibus eorum navem unam deducit*, quod ineptum est, neque melius est, quod Oberl. et Held ediderunt, *ex navalibus eorum navem unam deducit.* Apertum est omissam fuisse notam, qua genus aliquod navium indicaretur, quales plures conspiciuntur in Notis Tironianis post Grævii Inscriptiones Fol. 19. — Neque dubito equidem verum vidisse Lipsium (de Mil. Rom. II, 8 pag. 88), locum B. C. 1, 46, 4 notæ omissione corruptum fuisse.

De *editionum* in his libris ratione pauca monenda sunt. *Edd. prim.* (sec. 15), ad vulgares et interpolatos codices factæ, plerumque consentiunt. Ad codicem longe meliorem curata est *editio Veneta a.* 1511, quæ multas habet scripturas optimas, quæ in recentioribus edd. non leguntur. *Editiones Aldinæ*, ab Iucundo curatæ, ad meliores codd. factæ

37) Teste Fabriciano; nam Oud. in eo legi scribit *ex navalibus eorum unam deducit navem.*

38) Clarke edidit *ex navalibus eorum navem deducit*, in qua lectione Reg. cum Eliensi consentire affirmat; sed ex Norvic. alteram scripturam Davisius attulit, ut necesse sit alterutrum errasse.

sunt, sed sine dubio sæpius ex coniectura emendatæ. *Vascosana editio* ad meliores utique pertinet, sed glosssas ab Iucundo eiectas non raro retulit. *Manutius* plura ex ingenio quam ex libris mutasse videtur; quod idem plerumque de *Lipsio* et *Scaligero* valet. *Oudendorpius* in his libris de codicibus rectius iudicavit, quam in commentariis de B. G., sed permulta etiam ex codd. restituenda futuro editori reliquit. Hos duces plerumque sequuntur iidem, qui supra dicti sunt. Sola hic seorsum commemoranda est *I. C. Heldii* editio commentariorum de B. C., Sulzbaci 1822, 8; cuius secunda editio prodiit ibid. 1827, 8. Hunc ego virum ex omnibus recentioribus Cæsaris editoribus maximi facio; quæ de Cæsaris verbis emendandis monuit, sunt plerumque optima, et si Oberlini recensionem non repetere, sed sæpius, quam factum est, emendare voluisset, optima utique editio futura fuisset 39). Sæpius tamen eius non minus quam aliorum sententias reprehendi; feci hoc meo quodam iure, ut mihi videor, neque scio omnino, quid aliud facere is possit, qui verum tantummodo quærat; nam si bona sunt ea omnia, quæ alii monuerunt, cur ipsi scribimus? Hæc autem eorum caussa dicenda putavi, qui aut non credunt aut non credere se simulant, fieri posse, ut quisquam alios reprehendat, nisi idem *arrogans* sit et *virorum doctissimorum magistrum se exhibeat, falli nescium* 40).

---

39) Cfr. Moseri de hoc libro iudicium in Annal. Heidelberg. 1828 m. Maio pag. 510-518.

40) Cfr. Moseri Præfat. ad Cic. de Divin. et de Fato (Francof. ad Moen. 1828, 8) pag. VII.

Commemorandi denique sunt aliquot Viri Docti, qui hos commentarios non ediderunt quidem, sed tamen emendare et explicare conati sunt. *I. Markland* in *Explicationibus veterum aliquot auctorum*, quæ post editionem Euripidis Supplicum ab eo curatam 41) leguntur, pag. 264-279 plures horum Commentariorum locos critice tractavit; sed coniecturæ eius, quarum aliquot infra afferam, plerumque violentiores sunt, quam ut probari possint. Præterea *G. M. Doering* scripsit Observationes criticas in aliquot I. Cæsaris locos. Progr. Fribergæ 1821 (vid. Dæhne ad B. G. 1, 26 pag. 348) et *C. G. Flade* Observationes ad loca quædam Cæsaris et aliorum. Progr. Fribergæ 1813, 4. (vid. Dæhne ad B. G. 3, 13 pag. 355); sed de libellis, quos mihi videre non contigit, iudicium ferre non audeo. Legi autem, quæ *C. G. Iacob* in Quæstion. Lucian. (post Luciani Toxarin, Halis Saxon. 1825, 8) cap. VI pag. 23-31 scripsit *de ubertate et verbositate Cæsaris*; vera quidem sunt, quæ hic monentur, sed libenter ab aliis doceri velim, quid his insit non dudum ab aliis observatum. Legi etiam *G. W. G. Lochneri* Observationes ad Cæsaris Commentariorum locos quosdam, Norimbergæ 1828, 8. Multum ei legendum esse, antequam plura scribat, linguæ infantia ostendit; de Cæsaris autem verbis emendandis aut explicandis fere nihil novi et paullum boni monuit. Ignorantiæ specimen unum sufficiet: pag. 12 censet verba *prima vesperi* (B. C. 1, 20, 1) eodem modo dicta esse, quo alibi dicitur *primo mane*.

---

41) Ego usus sum editione Lipsiensi 1822, 8.

De meis autem observationibus monendi lectores sunt, meum non fuisse consilium omnes locos corruptos tractare aut eos commemorare, ubi iam ante me vera aut probabilis emendatio prolata est; hos solos tractavi, quos codicum aut coniecturæ ope sanare posse mihi videbar; permultos sanandos acutioribus relinquere coactus fui. Quid autem effecerim, alii iudicabunt, neque ego, qui alios vituperare non sum veritus, aliorum vituperationes, modo probabilibus argumentis nitantur, deprecabor.

OBSERVATIONES CRITICÆ
AD
C. IULII CÆSARIS
COMMENTARIOS DE BELLO CIVILI.

I, 5, 3. ***Dent** operam consules, prætores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat.*

Afferam hoc loco scripturæ varietates, ut primo statim exemplo appareat, quam necesse sit in his Commentariis sanæ rationi sæpe plus quam corruptis librorum scripturis tribuere. Leid. prim., sec., Voss. sec., Havn. A., ed. Rom., Mediol., Ald., al. habent *P. R*; Bong. tert. (sed in litura) *populi Rom.*; ed. Ven. 1471 *po. ro.*; ed. Ven. 1511 *Populus Romanus*; edd. Gryph. 1543, 1551 *Pop. Rom.*; sed. Cuiacian. *prætt.*, Petav. al., ed. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Manut. al., Scal., Oud. recte *prætores*, quod diserte legitur in Cic. Fam. 16, 11, 2, pro Deiot. 4, 11. — Deinde Havn. A., Bong. tert., Palat., al., ed. Ven. 1511, Vascos., Steph. al. *consules*; codd. quid., ed. Veneta 1471 *cons.*; ed. Rom.; Mediol., Ald. al. C*on.*; quod quum ferri non posset, Paulus Manutius et alii legebant *proconsules*, quod primum inveni in ed. Gryph. 1545, deinde in Manutianis; sed rectius Octav. Pantagathus et

Barn. Brissonius (de Form. II p. 212 ed. Francof. 1592, 4) *pro Coss.*, ex Cic. Fam. l. c.; Lipsius, Scaliger quique eum sequuntur *proconsulibus.* Sed Oudendorpio placuit cum Bruto et D. Vossio edere *consulares*, quod in *Pulmanni schedis* se diserte invenisse testatur; sed quum scripturas, quæ in his schedis commemorantur, ex codd. desumtas esse nequaquam constet, nulla earum est auctoritas (cfr. Prolegom. p. 21). Ego cum Moro probo scripturam *pro coss.*; nam etiamsi, quod cum Oudend. observavit Oberlin., *proconsules* fuerint *consulares*, minime sequitur, per hoc vocabulum nude positum intelligi posse eos, qui cum imperio *ad urbem* sunt.

Paullo post fere omnes, quas vidi, editiones habent: *Hæc S. C. perscribuntur*, quam notam quomodo explicuerint VV. DD. obscurum est; primus, quantum scio, Kreyssig edidit *hæc senatusconsulta*, et recte quidem, licet de uno tantum SCto sermo esse videatur, et in Leid. prim., Voss., Havn. A. legatur *SCto*, in ed. Ven. 1511 autem *senatus consulto* 1). Cæsar enim sine dubio, quum unum commemoraret SCtum, de pluribus cogitavit, quorum ipse mentionem fecit c. 2, 6 et 7 (aliam Senatus auctoritatem habet Dio Cass. 41, 3); nam sæpius accidisse videtur, ut plura SCta uno die perscriberentur, licet pluribus diebus facta; cfr. Coel. Ep. ad Ciceron. inter ep. ad Fam. 8, 8, 3 et Cic. Cat. 3, 6, 13, ubi commemoratur SCtum factum quidem sed nondum perscriptum.

---

1) In compendio *SC.* exponendo librarios passim errasse ostendit Drakenb. ad Liv. 3, 21, 2; 4, 30, 15; 4, 50, 8; 4, 51, 2; 22, 10, 1; 38, 60, 1; 42, 33, 4.

Deinde Havn. A. cum plerisque, ut videtur, codd., edd. prim., Ald., R. Steph., Manut. al. *ad VII Id. Ian.* (recte Scal. sqq. *a. d.*). Sed quum in veteribus Kalendariis ab A. Manutio et Ciacconio laudatis *dies VII Id. Ian.* sit dies comitialis [2], quibus diebus ex lege Pupia senatus haberi non poterat (Cic. ad Q. Fratr. 2, 2; 2, 13; Fam. 1, 4), Ciacconius scribendum esse putabat *a. d. VIII Id. Ian.*, quod ex Carrar., Voss., Leid. sec. recepit Oudendorpius. Sed non video, quo modo hæc scriptura cum verbis Cæsaris, quæ continuo sequuntur, conciliari possit: *Itaque V primis diebus, quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali* (a. d. III Non. et pridie Non.), *et de imperio Cæsaris et de — tribunis plebis — decernitur*; quibus verbis satis aperte, ut mihi quidem videtur, dicit SCtum perscriptum esse *septimo* anni die, qui dies est *a. d. VII Id. Ian.*; nam quod ait D. Vossius: "itaque e quinque primis Januarii diebus, quum duo essent comitiales, per triduum tantum de Cæsare agere senatus potuit", hoc non videtur ferri posse. Accedit locus c. 5, 2: *de sua salute septimo die* (ut videtur ex Kalendis Jan.) *cogitare coguntur* (tribuni). Posset quidem hæc res ita cum Vossio explicari, ut postero die, quam SCtum perscriptum esset, fugisse dicerentur tribuni; sed hoc neque cum Cæsaris *statim*, neque cum Appiani narratione, eos eadem nocte profugisse, conciliari commode potest (App. B. C. 2, 33, cfr.

2) Vid. Fast. Prænestin. post Wolfii Suetonium; Grævii Thes. Antiq. Roman. T. 8. p. 3.

Plut. Cæs. 31, Anton. 5 Oros. 6, 15, pag. 415 ed. Haverc., Lucan. Phars. 1, 266). Observavit præterea Vossius, contigisse aliquando, ut senatus die comitiali haberetur, coll. Cic. ad Q. Fratr. 2, 13: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum*; et Coelii Ep. ad Cic. (Fam. 8, 8, 3), ubi in senatus auctoritate est: *utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent S Q. C. facerent* 3); hoc vero extra ordinem factum fuisse. Quod quum Vossius ipse hoc tempore fieri potuisse fateatur, et idem mihi videtur, et observandum puto, idem in eo SCto et iis senatus auctoritatibus factum videri, quas Ciceroni misit Coelius (l. c.), quæ pridie Kal. Octobr. perscriptæ dicuntur, qui dies in iisdem Kalendariis 4) est comitialis. Præterea etiam *a. d. XIII Kal. Oct.* a. u. 710, qui fuit dies comitialis, habitus est Senatus (Cic. Phil. V, 7, 19. Fam. 12, 2).

I, 6, 5. *Philippus et Marcellus privato consilio prætereuntur, neque eorum sortes deiiciuntur.*

De *Philippo* consentiunt fere interpretes, fuisse eum *L. Marcium Philippum*, qui a. u. 698 consul fuerat; præteritum autem fuisse, quod affinitate Cæsari iunctus esset, quum *Atiam*, M. Atio

---

3) His locis addi potest Cic. Muren. 25, 51: *Tum meministis fieri SCtum, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus.* Cfr. Plutarch. Cic. 14.

4) Cfr. Grævii Thes. l. c. p. 7.

Balbo et Iulia, sorore C. Cæsaris, genitam (Sueton. Octav. 4 cfr. Cic. Philipp. 3, 6, 16; Intt. Liv. Epit. 116 p. 218 ed. Stutg.), uxorem duxisset atque ita vitricus esset Octaviani (Sueton. Octav. 8; Vell. Pat. 2, 59 et 60; Appian. B. C. 3, 10 et 13; Plutarch. Cicer. 44; Nicolai Damasc. de Vita Aug. c. 3 pag. 88 sq. et c. 15 p. 112 ed. Orell.). Scio equidem Massonum (Vita Ovid. an. 767 p. 123 sq. ed. Fischer.) et cum eo alios (ut Gierig. ad Ovid. Fast. 6, 802) ex Ovid. Fast. 6, 809 coll. Sueton. Octav. c. 29 (ubi vid. Intt.) contendere, non matrem sed materteram Augusti nuptam fuisse Marcio Philippo 1). Sed licet hæc res non proprie ad Cæsarem pertineat, quum, utrumcumque verum sit, affinitatem inter Cæsarem et Philippum intercessisse appareat, et ipse hanc rem ad liquidum perducere non possim, tamen omittere nolui, mihi eorum sententiam non improbandam videri, qui Philippum primum Atiæ sororem, deinde ipsam Atiam uxorem duxisse arbitrantur (vid. Harles. ad Ovid. Ep. ex Ponto 1, 2, 140) 2); nam etiam Cicero, qui in tali re errare non potuit, Atiæ maritum fuisse Philippum testatur, Orat. Phil. 3, 6, 15, ubi Antonium refellit, qui ignobi-

1) Corruptus est Dionis locus (45, 1), qui huc pertinet: *ὀρφανὸς ὑπὸ τοῦ Ὀκταουΐου τοῦ πατρὸς καταλειφθεὶς ἐτράφη παρά τε τῇ μητρὶ καὶ παρὰ τῷ ἀδελφῷ αὐτῆς Λουκίῳ Φιλίππῳ*: quod autem Xylander et Leunclavius coniecerunt *τῷ ἀνδρὶ δευτέρῳ αὐτῆς*, violentum est; neque magnopere placet Fabricii coniectura *τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς*.

2) Eamdem Letronnii sententiam esse (Analyse Critique du Recueil d'inscriptions grecques et latines de M. le Comte de Vidua. Paris 1828, 8) didici ex Annalibus Heidelberg. a. 1828

litatem Octaviano obiecerat: *Aricina mater* 3). Tum Cicero, *videte*, inquit, *quam despiciamur omnes*, *qui sumus e municipiis*, *id est*, *omnes plane*. Deinde § 17: *Sed hoc clarissimi viri viderint*, *L. Philippus*, *qui habet Aricinam uxorem*, *C. Marcellus*, *qui Aricinæ filiam*; *quos certo scio dignitatis optimarum feminarum non poenitere*. C. Marcellus enim, qui cum L. Aem. Paullo consul fuit a. 704 (Dio C. 40, 59 4)), duxerat Octaviam, sororem Augusti, quæ

---

m. April. p. 403 sq. Equidem, nisi vererer, ne Philippum ætate nimis provectum uxorem ducentem facerem, coniicere possem Philippum post Atiæ mortem sororem eius duxisse. Nicolaus Damascenus enim (l. c. c. 14 p. 109) narrat C. Amatium (Liv. Epit. 116 extr.; Appian. B. C. 3, 2 et 3; Valer. Max. 9, 15, 2; Cic. Phil. 1, 2, 5; Attic. 12, 49; 14, 6), qui C. Marii filium se esse diceret, ad Octavianum iuvenem adduxisse *τινὰς γυναῖκας τῶν Καίσαρος*, *αἳ ἐμαρτύρουν αὐτῷ τὴν εὐγένειαν*. *Οὔτε μὴν ᾿Αντίαν* (sic eam ubique appellat) *ἔπεισεν οὔτε τὴν ταύτης ἀδελφὴν καταψεύσασθαι τοῦ σφετέρου οἴκου.* Hanc Atiæ sororem illi superstitem fuisse et postea Philippo nupsisse, coniici posset; sed quum Atia a. u. 711 mortua est (Sueton. Octav. 61 cfr. Dio C. 47, 17), Philippus, quum a. u. 698 consul fuerit, fere sexagesimum annum egisse videtur. Alii, quos D. C. G. Baumgarten-Crusius ad Sueton. Octavian. 29 pag. 249 et in Indic. Nom. Propr. pag. 51 secutus est, duos L. Marcios Philippos eodem tempore vixisse statuunt; sed hæc, ut inventu facillima, ita omnium pessima ratio est. Quod autem Massonum huius sententiæ auctorem laudant, fateor me ex eius verbis (l. c.) non satis intelligere, utrum duos L. Marcios Philippos fuisse statuat, an eum L. Marcium Philippum, quem unum horum temporum historia novit, vitricum Augusti fuisse neget. Eadem, qua ego, ratione Massoni verba intellexit Gierig l. c.

3) Cfr. Serv. ad Virg. Æn. 5, 568; Casaub. ad Sueton. Aug. 4.

4) Erravit enim Glandorpius (l. c. p. 232), qui hoc de altero C. Marcello tradit, qui a. u. 705 cum L. Lentulo consul fuit; hic enim in bello civili periisse videtur (v. Perizon. Animadv. Hist. c. 9 p. 405 ed. Harles., Wolf ad Orat. pro Marcell. p.

postea M. Antonio nupsit. Ait quidem Plutarchus (Anton. 31): *Ὀκταβία ἦν ἀδελφὴ πρεσβυτέρα μὲν οὐχ ὁμομητρία δὲ Καίσαρι· ἐγεγόνει γὰρ ἐξ Ἀγχαρίας, ὁ δ' ὕστερον ἐξ Ἀττίας. Αὕτη, Γαΐου Μαρκέλλου, τοῦ γήμαντος αὐτὴν, οὐ πάλαι τεθνηκότος, ἐχήρευεν.* Sed recte ei adversari videtur Glandorpius (Onomast. Rom. p. 86 sq. ed. Francof. 1589, fol.), partim auctoritate loci Ciceroniani, quem supra laudavi, partim testimonio Dionis, qui (40, 59) ait: *Γάϊος Μάρκελλος — τῷ Καίσαρι, καίπερ ἐξ ἐπιγαμίας προσήκων, ἐχθρὸς ἦν*: hunc enim qui potuisse affinem esse Cæsari per Octaviam maiorem, quæ, Octavii et Ancharie filia (Sueton. Octav. 4.), Cæsarem nullo propinquitatis gradu contingeret. Præterea diserte ait Suetonius (Cæsar. 27): *ad retinendam Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octaviam, sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditionem ei detulit* 5). — Itaque C. Marcello nu-

7). Sed postea errorem suum correxit in Stemmate Claudiorum Marcellorum (p. 948), ubi recte ei Marcello, quem dixi, hanc uxorem tribuit. — A Nicol. Damasc. l. c. c. 13 p. 107 commemoratur *ὁ γήμας αὐτοῦ* (Cæsaris Octaviani) *τὴν ἀδελφὴν Μάρκελλος, ἀνὴρ σωφρονέστατος καὶ κατ' εὐγένειαν ἄριστος Ῥωμαίων.*

5) Cum Plutarcho facit I. Lipsius in Stemmate Augustæ Domus (in Taciti Oper. ed. Oberlin. T. 2 p. 832 sqq.), qui Octaviam maiorem primum C. Marcello deinde M. Antonio triumviro nupsisse dicit, sed de alterius Octaviæ coniugio aut stirpe nihil sibi lectum fatetur. (Idem de se fatetur Glandorp. l. c. p. 433). Editores Taciti Bipontini (in Tab. I. Augusti stirpem et sororis Octaviæ progeniem referente, adiuncta Annal. Tomo II) de Octavia maiore Lipsio adsentiuntur, sed Octaviam minorem nupsisse censent Apuleio cuidam, cuius filius fuerit Sext. Apuleius, qui a. u. 767 cum Sex. Pompeio consul fuit (Dio C. 56, 29; Tacit. Annal. 1, 7) et a Dione (l. c. et 54, 30, ubi vide Intt.) dicitur fuisse Augusti cognatus; eius filiam fuisse *Apuleiam Variliam, sororis Augusti neptem*

pserat Octavia minor, Atiæ filia; ergo in loco Ciceronis Aricina, M. Atii Balbi filia, est Atia 6) eiusque maritus Philippus, Augusti vitricus (cfr. etiam Cic. Attic. 14, 11 extr. et 14, 12 cum Vell. 2, 60 et Appian. B. Civ. 3, 13). Ceterum hic Philippus a Cæsare impetravit, ut in bello civili neutrarum partium esset (Cic. ad Att. 9, 6 p. 444 Sch.; 9, 7 pag. 448 et post hanc litt. A. p. 451 et B. p. 452 sq; Cic.

(Tacit. Ann. 2, 50 et ibi Lips.). De hac coniectura multo minus quidquam affirmare audeo, quum præter hunc saltem duo nobiles Apuleii Augusti tempore fuerint: *Sext. Apuleius*, qui a. u. 725 Augusti quintum consulis collega fuit (Dio C. 51, 20), et *M. Apuleius*, a. u. 734 cum P. Silio consul (Dio C. 54, 7). Si quid autem veri huic coniecturæ inest, nihil prohibet, quominus Octaviam maiorem Apuleio nupsisse dicam. Sed totam rem miro modo confudit G. A. Ruperti (Tabul. Genealog. s. Stemmat. Gent. Roman. Goett. 1794, 8), qui (pag. 51) Octaviam minorem dicit uxorem fuisse *M. (C.) Claudii Marcelli Aesernini*, consulis a. u. 731 (s. 732 cum L. Arruntio); quum vero eadem Octavia ab eo (p. 153 et in Stemmate Augustæ domus post pag. 246) recte dicatur postea nupsisse M. Antonio triumviro, quem a. u. 724 mortuum esse constat, hoc falsum esse patet. Quod idem vir (p. 153 et in Stemm. l. c.) eamdem Octaviam Cn. Pompeio Magno nupsisse dicit, error est ex male intellecto Suetonii loco, quem supra posui (Cæs. 27), ortus. Aliter rem turbavit Heeren (in Sammtafel des Hauses der Caesars, in Geschicht. des Alterth. p. 571 ed. 4tæ, 1821.), qui Atiæ duas filias tribuit, *Octaviam maiorem*, cuius maritus M. Marcellus fuisse dicitur, et *Octaviam minorem*, cuius primus maritus C. Marcellus, secundus Pompeius, tertius M. Antonius. Anchariam, priorem C. Octavii uxorem, ignorasse videtur et cum Rupertio de Pompeio errasse; sed unde M. Marcello Octaviam maiorem nupsisse cognoverit, dicere non possum. Fiedler (Geschichte des römischen Staates, Leipz. 1821, pag. 372) Anchariam suo loco commemoravit sed cetera ex Heerenii libro repetiit.

6) cfr. Perizonii Animadv. Hist. c. 5 p. 206.

Ep. ad Cæsar. post ep. ad Att. 9, 11 p. 472; ad Att. 9, 15 p. 484; 10, 4, 3 p. 506.)

Hæc de Philippo. Sed *Marcellus* quis fuerit, non constat; Ald. Manutius censet, eum fuisse C. Marcellum, qui cum L. Aem. Paullo consul fuit a. u. 704 et Octaviam minorem duxerat; eum ob affinitatem Cæsaris Pompeianis suspectum fuisse. Et constat quidem, eum in bello civili in Italia manentem medium se gessisse (v. Wolf ad Orat. Marcell. p. 7). D. Vossius legendum coniecit *Marcellinus*, ut intelligeretur Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, qui a. u. 698 cum L. Marcio Philippo consul fuit; eum ait in bello civili a Cæsaris partibus stetisse, quod quam verum sit nescio; nam qui B. C. 3, 62 sqq. commemoratur Lentulus Marcellinus, Quæstor Cæsaris, eum potius cum Glandorpio (l. c. p. 268) filium consularis fuisse censuerim, quam ipsum consularem. Sed mirum est, interpretes non diligentius considerasse aliam scripturam, quæ in plerisque codd. (Havn. A., Leid. prim., Cuiac., Petav., Scalig., Brant., Carrar.), ed. Ven. 1511 al., marg. edd. Gryph. 1543, 1551 exstat: *Cotta*. Omnes deterruisse videtur, quod B. C. 1, 30 (cfr. Oros. 6, 15 p. 416; Cic. Attic. 10, 16, 3) commemoratur M. Cotta, Pompeianus, Sardiniæ præfectus. Sic saltem D. Vossius: "In MSStis reperiebam pro *Marcellus*, *Cotta*, mendose; nam Cotta, ut hoc libro dicitur, Sardiniam obtinuit." Sed alius eo tempore vivebat Cotta, qui hic fortasse intelligi potest, *L. Aurelius Cotta*, qui a. u. 689 cum L. Manlio Torquato consul fuit et a. u. 690 censor (Plutarch. Cicer. 27 cfr. Sigonii Fast. Cons. ad a. 689 p. 275 ed. Hanov. 1609;

Pighii Annales Rom. ad a. 689 p. 319, T. 3. ed. Antverp. 1615; Ferrat. ad Cicer. pro Sest. 34 p. 603 sq. ed. Neap.): hic quidem non videtur in provinciam isse et eo tempore vivus erat, quippe qui etiam Cæsari superstes fuerit (Cic. Phil. 2, 6, 13; Fam. 12, 2 p. 183). Utram partem in bello civili secutus sit, nusquam commemoratum reperi; sed Pompeianis ob affinitatem Cæsaris suspectus esse potuit (v. Sueton. Cæs. 1); veri enim simile est, Aureliam, matrem Cæsaris (Dial. de Orator. c. 28 cfr. Cic. Brut. 72, 252), huius Cottæ sororem fuisse (Glandorp. Onomast. p. 144).

I, 9, 2. *Sibi semper reipublicæ primam fuisse dignitatem vitaque potiorem.*

Cod. Ursini, Havn. A., Vossian., Carrar. omittunt *reipublicæ*. Bene Hotomanus, "Deleo," inquit, "*reip.*; nam de sua non de reip. dignitate loquitur." Neque ab hac sententia alieni erant Brutus et Gruterus; sed Davisius censet Hotomanum *temere prorsus et inconsulte* egisse, neque minus operam lusisse Ursinum, qui cum Faerno reponat *sibi semper rempublicam primam fuisse dignitate* [1]; respondere enim Cæsarem Pompeianæ orationi, qua testatus est (c. 8, 3), *semper se reipublicæ commoda privatis necessitatibus* [2] *habuisse potiora*: *Cæsarem quoque pro sua dignitate debere et studium*

---

1) Ursinus vulg. script. retinuit, sed magis placere sibi ait scripturam codic. Faerni, quæ etiam in Leid. sec. esse dicitur.

2) Scribendum *necessitudinibus* ex Havn. A. et multis aliis codd., edd. Ald., Steph. al.

et iracundiam suam reipublicæ dimittere. Deinde Davisius hos locos nescio quid probaturos laudat: Bell. Alex. 8, 3: *fugæ nullum esse consilium, non solum iis, qui primam dignitatem habeant cet.*; ib. 33, 5: *ad imperii nostri dignitatem utilitatemque publicam pertinere existimabat*; ib. 36, 2: *nec sibi quidquam fore antiquius, quam dignitatem populi Rom. cet.* Oudendorpius censet, voc. *reipubl.* non male a Davisio defensum esse; locum tamen glossæ magis suspectum reddere, quod in Cuiac., Petav., Scalig., Leid. prim. [Lem. B.] scribatur *primam P. R.* 3). Inter recentiores nemo de integritate huius vocis dubitasse videtur, nisi forte hoc fecit Lemaireus, quod ex Dæhnii adnotatione suspicor. Sed res ipsa loquitur; nam verum omnino est, quod Hotom. monuit, Cæsarem hic de *sua* dignitate 4) loqui, quod et ea verba, quæ paullo post leguntur, ostendunt (*tamen hanc iacturam honoris sui reipubl. caussa æquo animo tulisse*), et verba legatorum Pompeii, quæ in contrariam sententiam Davis. explicat. Deinde, si hoc voluisset Cæsar, sibi reipubl. dignitatem semper primam fuisse, non illo verborum ordine usus esset, quem vulg. lect. exhibet. Deni-

---

3) His addam codd. scripturas ex Fabriciano: Petav. *semper primam P. R. fuisse*; Cuiac. *semper P. R. primam fuisse*; Palat. *semper R. P. primam fuisse.* Edd. prim. *reipubl. primam fuisse dign.*; ed. Ven. 1511 *sibi semper rem pu. primam fuisse dignitatem.*

4) *Dignitatem* autem id esse, quod vulgo *honorem* appellant, hi loci ostendunt: Cæs. B. G. 4, 17, 1; 6, 8, 1; 7, 66, 5; 7, 77, 6; B. C. 1, 32, 4; Cic. Catil. 4, 5, 9. Cfr. Madvig Epist. Crit. ad Orell. p. 100. — Conferri etiam potest V. L. ad Cic. Provinc. Cons. 9, 22, ubi *rei publicæ dignitatem* librarii nonnulli effecerunt.

que rem conficit Cicero (ep. ad Att. 7, 11 init.): *Cingulum nos tenemus, Anconam amisimus* (cfr. B. C. 1, 11, 4). *Labienus discessit a Cæsare. Utrum de imperatore populi Rom. an de Hannibale loquimur? O hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem umquam* τοῦ καλοῦ *viderit! Atque hæc ait omnia facere se dignitatis caussa; ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas?* Cfr. Cic. Ligar. 6, 18.

I, 29, 3. *Interea veterem exercitum, duas Hispanias confirmari, — auxilia, equitatum parari, Galliam Italiamque tentari se absente nolebat.*

Nullus interpretum de integritate huius loci dubitasse videtur; sed ita Cæsarem scribere potuisse persuadere mihi non possum. Quid Cæsar noluerit obscurum non est: B. C. 2, 18, 7: *Cæsar — constituerat nullam partem belli in Hispaniis relinquere cet.* Appian. B. C. 2, 40: δείσας τοῦ Πομπηΐου τὸν ἐν Ἰβηρίᾳ στρατὸν, πολύν τε ὄντα καὶ χρόνῳ γεγυμνασμένον, μή οἱ διώκοντι τὸν Πομπήϊον κατόπιν ἐπιγένοιτο· τόνδε μὲν αὐτὸς ἔγνω προκαθελεῖν, ἐς Ἰβηρίαν ἐλάσας. Varro de Vita Populi Rom. lib. IV (ap. Non. in voc. *anceps* c. 4, 32 p. 623 ed. Gothofr. 1595, 4; fragm. Varron. I. p. 249 ed. Bip.): *Cæsar reversionem fecit, ne post occipitium in Hispania exercitus qui erant relinqueret*[1]: *quo se coniiceret Pompeius, ut ancipiti urgeretur bello.* Dio Cass. 41, 15: περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐδεδίει,

---

1) Sic recte ed. Merceri, Parisiis 1614, et ed. Bip.; male ed. Gothofred. *relinquerent.*

μὴ αὐτὴν ἐκ τῆς Ἰβηρίας οἱ τοῦ *Πομπηΐου* ὑποστράτηγοι ἐπελθόντες κατάσχωσι. Etiam ex Ciceronis epistolis apparet, Pompeianos ab Afranio et Petreio non parum auxilii rebus suis sperasse (vid. Fam. 16, 12 p. 446; Att. 7, 26 p. 379; 8, 2 p. 384; 8, 3, 3 p. 390). Scribendum puto: *interea veteré exercitu* (Pompeii, cfr. B. C. 1, 85, 6 et 7) *duas Hispanias confirmari.* Lineolam enim, qua litteræ *m* et *n* indicantur, sæpe a librariis et additam et omissam fuisse, nemo ignorat, ut necesse non sit multa exempla congerere ex his ipsis commentariis; vide modo V. L. 1, 32, 3; 1, 75, 2; 3, 15, 3; 3, 111, 1.[2] *Vetus* autem opponitur *novo* B. G. 6, 12, 6; 6, 40, 4 et 6; B. C. 1, 30, 4; 1, 34, 3; 3, 101, 6; Sall Jug. 87, 3. al.

Addita lineola locum B. C. 3, 8, 3 sanavit Faërnus; scribendum est enim *iracundiam erupit*, quod etiam Davisio et Moro placebat. Eodem autem modo sanandus videtur locus B. C. 3, 31, 4, ubi in ed. R. Steph., Scal., Oud. legitur: *summaque in*[3] *sollicitudine ac*[4] *timore Parthici belli in provinciam quum venisset;* sed Havn. A., Petav., Leid. prim., Voss. omittunt alterum *in*; iidem codd. et Lov., Pal., Dorv. habent *provincia.* Hinc Cæsarem scripsisse suspicor: *summamque in sollicitudinem ac ti-*

2) Sic sæpissime codd. variant *in conspectum* et *in conspectu;* vid. V. L. ad B. G. 4, 12, 2; 7, 48, 3; 8, 8, 4 (ubi vid. Oud.); 8, 23, 6; 8, 27, 3; 8, 29, 1; 8, 48, 9; B. C. 2, 27, 3; 2, 32, 5; 3, 28, 4; 3, 71, 4; 3, 109, 5.

3) *in* omitt. edd. prim., Ven. 1511, Ald., Bas., Manut. al.; eius loco *cum* habent Dorv., Leid. sec., edd. Vascos. et Gryph. 1545.

4) *at* ed. Rom., Ven. 1471, Mediol. 1477, Ald., Bas. — *ac* ed. Mediol. 1478, Venet. 1511, Vascos., Manut. cet.

morem P. belli provincia quum venisset. Ibidem paullo post auctoritate codd. Havn. A., Petav., Leid. prim., Scal., Voss., Norvic. scribere malim *ac nonnullæ militum voces quum* (codd. et ed. Ven. 1511 *cum*) *audirentur* [5]), quam *voces tum audir.*, quod Oud. ex edd. prim., Vascos., Steph. al. recepit; edd. Ald., Manut., Scal. al. hoc vocabulum omittunt.

I, 44, 3. *Quod fere fit, quibus quisque in locis miles* *i n v e t e r a v i t*, *uti multum earum regionum consuetudine moveatur.*

Corrigendus est typorum error, qui centum fere annos omnes editiones obsedit. Scilicet *inveteravit* primum legitur in edit. Græv. a. 1713, unde transiit in editionem Oud. et inde in recentiores omnes. Havn. A. cum edd., quas vidi, omnibus ante illam Grævianam (etiam ed. Græv. a. 1697) habet *inveteraverit*, quod restituendum est. Ceterum *quisque* abest ab Havn. A et fortasse delendum est. Paullo post scribendum cum Havn. A. et multis codd. apud Oud., ed. R. Steph. al. *hæc* *t u m* *ratio nostros perturbavit*, quum nihil dictum sit, cur quisquam suspicaretur, Cæsarianos hoc pugnæ ge-

---

5) Nostro loco simillimus est locus B. C. 1, 26, 2: *ac,* *t a m e t s i* *magnopere admirabatur, — atque ea res sæpe tentata* *e t s i* *inpetus eius consiliaque tardabat cet.* Ita autem, ut nostro loco, sæpius apud Cæsarem post unum aut plura vocabula collocantur coniunctiones *quum* (B. G. 1, 26, 1; 2, 15, 3; 4, 28, 3; 5, 23, 6; 7, 40, 3; B. C. 3, 47, 7; 3, 90, 1) et *ut* (B. G. 1, 13, 1; 1, 25, 4; 3, 4, 1; 3, 18, 7; 4, 11, 2; 4, 31, 3; 5, 36, 3; B. C. 3, 78, 6).

nero minus perturbari potuisse, sed tantummodo narretur, quam molesta iis fuerit haec pugnandi ratio.

Hoc loco alios nonnullos editionis Oud. errores commemorabo, qui a recentioribus partim correcti partim repetiti sunt.

I, 59, 2 ex edd. Oud. exciderunt verba *minus libere*, quae in omnibus edd. antiquioribus (etiam Graev. 1713) leguntur; sed quum forte fortuna Morus haec verba retinuisset, Oberlinus errorem observavit et recte haec verba restituit.

I, 85, 3. Edd. antiquiores fere omnes: *cum neque colloquii neque induciarum iura servassent homines imperitos et per colloquium deceptos crudelissime interfecisse.* Ex editionibus Gryphianis verba *neque colloquii* exciderunt (quod haec verba etiam ex Davisiana excidisse dicunt Morus et Dahne, erraverunt), neque restituit Oud.; Morus haec verba omissa esse vidit, et Oberlinus reposuit, quem recentiores secuti sunt. Sed etiam Havn. A. haec verba omittit, neque facile quisquam negabit, ea glossae esse similia, quae partim verb. *induciarum* ex c. 74 explicaret, partim illud adderet, quod ad *neque induciarum* deesse videbatur, quum *neque — et* iungi [1] librarii nescirent. Quum autem ex codd. nihil varietatis afferatur, et neque negamus, haec verba etiam ex Havn. A. esse excidisse putamus, ea

1) [illegible]

iterum delere non audeo, nisi alius codicis auctoritas accesserit.

Commemorandus est alius operarum Oudendorpii error, quoniam Kreyssig eo se decipi passus est. II, 9, 1 in utraque edit. Oud. legitur *extenta parietum structura*; sed Havn. A. cum edd., quas vidi, omnibus (etiam Græviānis) recte *extrema par. struct.* Illum errorem nemo ante Kreyssigium animadvertisse videtur, qui eum in textum recepit, quum Oudendorpius hanc scripturam ex codd. tacite reposuisse ipsi videretur. Monendum autem putavi, quod experientia doctus scio, nusquam quidquam ex Oudendorpii silentio concludendum esse. Nulla omnino ab antiquis interpretibus, qui codices contulerunt, affertur scripturæ varietas, neque est ulla in Fabriciano. Ex verbis autem §. 7, quæ Kreyssig laudavit (*tigna item, ut primo, tecta extremis lateribus instruebant*), patet, vocab. *extrema* ad voc. *structura* et non, quod Kreyss. fecisse videtur, ad *tigna* referendum esse.

Alius typorum error, quem recentiores plerique temere secuti sunt, est II, 23, 5. In utraque Oudend. legitur *Hanc secutus M. Rufus quæstor cet.* Havn. A. cum editt., quas vidi, ante Oud. omnibus et Giani *Hunc sec.* Errorem ex edit. Oud. repetiit Morus, ex huius edit. Oberlinus, licet hic observaverit, Jurinium legere *hunc* scil. Cæsarem, et sic etiam Davisium aliosque. Verum dederunt Bipontini et Held.; sed quum hic h. l. tacuerit, factum est, ut Dæhne et Kreyssig *hanc* retinuerint. Apparet igitur, quam periculosum sit etiam in tam apertis erroribus corrigendis silentium.

III, 38, 2 in edd. Grævianis et utraque Oud. scribitur *Scipio ad insequendum paratus*; sed quum nihil adnotaverit Oud. omnesque edd. præter eas, quas laudavi, cum Havn. A. *sequendum* habeant, apparet hanc veram esse scripturam, quam quum ex Cellariana Morus retinuisset, in Bipontinam, Oberlinianam, Heldianam priorem transiit; sed, varietate scripturæ animadversa, Dæhne, Kreyssig, Held in ed. sec. illum typorum errorem revocarunt.

III, 63, 6 in edd. Oud. et recentt. legitur *simul ex navibus cirumvecti milites*; sed delendum est *ex*, quod sine dubio typographo debetur. In edd. ante Oud. legitur *simulque navibus*; Oud. in notis monuit, se auctoritate codd. Petav., Cuiac., Leid. prim., Voss., Lov., Pal., Leid. sec. (quibus accedit Havn. A.) dedisse *simul*; sed particulæ *ex* nullum usquam vestigium est.

I, 51, 2. *Erant præterea cuiusque generis hominum milia circiter VI cum servis liberisque.*

Sic omnes, ut videtur, codd. et edd. vett. Primus in hoc loco hæsisse se testatus est Hotomanus, cuius verba hæc sunt: "Legendum arbitror *libertisque*; nam hæc usitata locutio est, pro *in his servi libertique*. Quod vulgo dicitur, *Computando servos libertosque*. Sic cap. 58 extr.: *Eo die naves Massiliensium cum iis, quæ sunt captæ, intereunt novem.*" Eiusdem sententiæ Gruterus fuit et Clarkius, qui *libertisque* recepit. Oudendorpio vulgata

lectio *satis habere* videtur, *quo se defendat*; sed quomodo explicanda sit, non necessarium putavit indicare. Non male Held: "wenn die 6000 *homines cuiusque generis* (von allen Waffengattungen) gekommen waren mit Sklaven und Freien, was waren denn sie selbst?" Probat igitur *libertisque* eique Dæhne adstipulatur. Cur vero Heldius *homines cuiusque generis* de armaturæ genere explicuerit, ignoro equidem. Ait Cæsar, præter sagittarios et equites Gallos ibi fuisse sex milia hominum omnis generis, ex quibus commemorantur *complures honesti adolescentes, senatorum filii et ordinis equestris, legationes civitatum, legati Cæsaris.* Hi sane non omnes ad bellum parati fuisse videntur. Præterea nullam caussam video, cur Cæsar h. l. diceret, cum his hominibus et *servos* et *libertos* fuisse, quasi hoc aut mirum aut novum esset; nam quod c. 34, 2 dicitur: *naves actuarias — servis, libertis, colonis suis compleverat*, nihil ad nostrum locum facit. Dicam quod sentio, licet rem a me nunc quidem confici non posse fatear. Videtur mihi *cum* h. l. ita explicandum esse, ut non raro in nostra lingua usurpatur præpositio eam exprimens (*med, mit*), ut utrosque comprehendi significet: ergo hæc Cæsar dicere mihi videtur: *erant sex milia hominum omnis generis, quorum alii servi erant, alii liberi.*

Locum, quem cum hoc compararem, nondum inveni, nisi ita explicari possit vulgata ante Cortium lectio in Sall. Jug. 49, 1: *Jugurtha — elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem præficit eumque edocet, quæ ageret; ipse propior mon-*

tem cum omni equitatu et peditibus delectis suos collocat. Scripturæ varietas apud Cortium et Gerlachium hæc est: Guelf. 11 *et* omittit; Fabric. 1 non agnoscit *suos*; Senat. 1, Incert. 2, Guelf. 2 et 3 habent *dilectos*; quinque alii codd. *delectis suis*; (*delectos suos* Med. 4 m. sec. ex emendatione, Barb. 2.). Hinc Corte suam effecit lectionem: *cum omni equitatu pedites dilectos collocat.* Sed varietas scripturæ in tanta codicum multitudine non magna esse videtur, et vulgares sunt librariorum errores, ut casus vocabuli cum eius, quod proxime antecedit aut sequitur, commutetur; neque, si ea scripsit Sallustius, quæ eum scripsisse Corte censuit, ulla caussa videtur librariis fuisse in tam facili loco errandi. Gerlach vulgatam lectionem restituit, quam in plurimis codd. esse testatur; sed quod *suos* esse dicit *regios equites* (54, 4 coll. 56, 4), qui custodes corporis erant, hoc mihi quidem non magnopere placet. Contra, si mea coniectura vera est, hoc dicit Sallustius, Bomilcarem cum elephantis et parte copiarum pedestrium alio abiisse (cfr. c. 52), Jugurtham autem eos, quos secum retinebat, h. e. omnem equitatum et pedites delectos, prope montem collocasse. Fateor equidem hoc aliquanto durius videri, sed fortasse non est durius, quam Sallustii consuetudo patiatur; neque dubito, quin re semel observata meliora exempla aliquando reperiantur.

I, 58, 3. *Nostri, quod minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus uteban-*

tur; qui repente ex onerariis navibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam gravitate et tarditate navium inpediebantur: factæ enim subito ex humida materia, non eumdem usum celeritatis habebant. Itaque cet.

Sic fere editur inde ab editionibus Aldinis, nisi quod alii aliter verba distinxerunt. Ut ea supra adscripsi, leguntur in ed. Scalig. sqq. et Oud., sed sine sensu, ut facile apparet; primum enim deest apodosis, deinde neque remiges magis exercitati, neque gubernatores peritiores essent, etiamsi gravitate et tarditate navium non impedirentur. Hoc nomine melior est distinctio, quam a Moro, quantum scio, ortam recentiores tenuere: *Nostri, quod — utebantur, (qui repente — cognitis,) tum etiam — impediebantur cet.* Sed ne sic quidem recte procedit sententia, quum desit apodosis, quam verbis *tum etiam gravitate et tard. navium impediebantur* inesse persuadere mihi non possum, quum vel exercitatissimi remiges et peritissimi gubernatores gravitate et tarditate navium fuissent impediti. Neque verba ita iungere placet: *nostri impediebantur, quod — utebantur, tum etiam grav. et tard. nav.:* addendum enim fuisset, a qua re impedirentur [1]. Accedit, ut locum corruptum esse suspicer, scripturæ varietas. *Nostri* abest ab Havn. A., Cuiac., Petav., Pal., Bong. tert., Lovan. ceterisque Oud., quod ex eius verbis *deest MSS.* coniici posse videtur. Edd. prim. et Ven. 1511 hanc vocem infra ante verba *tum*

---

1) Quod autem Lochner (Observ. p. 27 sq.) putat, *quod — tum* eodem modo poni, quo *quum — tum*, ineptum est.

etiam grav. collocant. In Aldinis primum suo loco collocatur, quem obtineat necesse est, si maxime in nullo codice inventa fuerit, quod tamen affirmare non audeo, quum Brutus, Ursinus, Brantius al. ex suis codd. nihil varietatis adnotaverint. *Quod* primus edidit Aldus, quem plerique secuti sunt; sed Havn. A., Petav., Voss., Pal., Leid. sec., edd. prim., Ven. 1511, Vascos., R. Steph., Gryph. 1545 al. habent *qui*; Leid. prim., Bong. tert., Lov., Dorv. *quo*; deinde pro *qui*, quod infra legitur, Leid. sec. *quique*. Posset igitur non omnino male cum edd. Vascos, R. Steph, Gryph. 1545 scribi: *Nostri, qui minus — utebantur, quique repente — cognitis: tum etiam grav. et tard. nav. impediebantur.* Sed ne hæc quidem lectio placet, quum nesciam, num *tum etiam* ita recte dicatur: *nostri, qui — utebantur, tum etiam — impediebantur.* Mihi ita scribendum et distinguendum videtur: *Nostri quum minus exerc. remig. — utebantur (qui repente — cognitis), tum etiam — impediebantur; facta enim — habebant* 2). Ita enim duæ afferuntur rationes, cur Cæsariani Massiliensibus inferiores essent, eæque opponuntur iis, quæ supra de Massiliensibus dicta sunt: *Ipsi Massilienses et celeritate navium et scientia gubernatorum confisi nostros eludebant impetusque eorum excipiebant.* Eodem modo ea, quæ infra de

---

2) Sic B. G. 2, 4, 7: *qui quum magn partis harum regionumce, tum etiam Britanniæ regnum obtinuerit;* cfr. B. G. 3, 2, 4; B. C. 1, 62, 2; 3, 60, 2. Alia exempla vid. apud Hor. Tursellin. de Part. pag. 201 ed. Schwartz. 1734. — *Neque dum* similiter legitur in Cicer. Tuscul. 3, 28, 68; vid. Tursellin. p. 563.

Cæsarianis dicuntur: *itaque dum locus comminus pugnandi daretur, æquo animo singulos binis navibus obiiciebant cet.*, opponuntur his de Massiliensibus: *quoad licebat latiore uti*[3] *spatio, producta longius acie, circumvenire nostros — contendebant: quum propius erat necessario ventum, — ad virtutem montanorum confugiebant.*

I, 79, 1. *Genus erat hoc pugnæ: expeditæ cohortes novissimum agmen claudebant pluresque in locis campestribus subsistebant.*

Sic fere omnes codd., ed. Ven. 1511, Ald., R. Steph., Manut. al. Primus in hac lectione hæsisse videtur Ciacconius, qui breviter, "quid si legas", inquit, "*pluriesque?* vide Gellium lib. V cap. ultimo." Eius auctoritate commotus hoc vocabulum recepit Scaliger, cum eo Davis., Oudend., recentt. Davisius quidem ex lectione *pluresque* sensum rei congruum exsculpi posse negat; quamvis *pluries* apud melioris ævi scriptores alibi non occurrat, ei tamen patrocinari censet *compluries*, quo vocabulo usus est Plaut. Pers. 4, 3, 65, et *M. Cato in quarto Originum eodem in loco ter hoc verbum posuit* (v. Gell. N. A. V. 21); sed ipse Gellius ait, se hos locos subscripsisse, *quoniam minus usitatum est adverbium*, et nusquam apud scriptores, qui Cæsaris

---

3) Sic enim scribendum esse recte vidit D. Vossius, quo ducunt optimi codd., Havn. A., Petav., Leid. prim., Cuiac., Scalig., Norvic., qui post *latiore* addunt *ut*, et Voss., qui addit *aut*, et ceterorum codicum errores. Probavit etiam Held in edit. sec.

ætate vixerunt, legitur. Sed multo minus Latinum est adverbium *pluries*, quod recte monuit G. I. Vossius (de Vitiis Sermonis I. c. 25 pag. 35 ed. Amstelod. 1695), et frustra sunt, qui id defendere conantur, Chr. Cellarius (in Antibarbaro, Cizæ 1678, pag. 135, in Curis Poster. de Barb., ib. 1680, pag. 57), Ol. Borrichius (Cogitatt. de variis Latinæ linguæ ætatibus, Cothenis 1691, 4, pag. 194), Ioh. Vorstius (de Latinit. merito suspecta p. 23 sq. ed. Berlini 1674, 8), I. F. Noltenius (Lexic. Antibarb. ed. 1744 pag. 1100 sq.). Omnes aut hoc ipso loco solo utuntur aut ei adiungunt locum Trebell. Pollion. in duobus Gallienis c. 1; et ipse Vossius ait, inclinantis Latinitatis scriptores hoc vocabulo usos esse, ut Trebellium Pollionem: *Cum pluries eius caussa convenissent.* Sed ne ibi quidem hæc scriptura admodum certa videtur; saltem in edd. Scriptor. Historiæ Augustæ cum Not. Varr. Lugd. Bat. 1661 et 1671, 8 et edit. Lipsiensi 1774, 8 locus laudatus ita scribitur: *Gallieno et Volusiano coss. Macrianus et Ballista in unum coeunt, exercitus reliquias convocant. — Denique quum plureis eius rei causa convenissent, placuit cet.* Contra in ed. Boxhorn., Lugd. Bat. 1632, Obrechti, Argentor. 1677, Bipont. 1787 reperi *pluries.* Quum autem desit critica horum scriptorum editio, de hoc loco iudicari nequit, neque Cæsarem aliquid scripsisse ex Trebellio Pollione probari potest.

Sed si maxime Latinum esset *pluries* pro sæpius, tamen non facile dicerem, quem sensum commodum h. l. habere posset. Narrat Cæsar c. 78 extr.: *Nullum intercedebat tempus, quin extremi*

cum equitibus proeliarentur; deinde *pugnæ genus* describit, in quo describendo eum faciunt dicentem, *expeditas cohortes sæpius in locis campestribus substitisse.* Imo non *sæpius* hoc fecerunt, sed ubicumque erant loca campestria, ibi hoc iis erat necessario faciendum, nisi se equitibus Cæsaris aversos trucidandos tradere vellent. Hoc ex verbis, quæ continuo sequuntur, satis, ut mihi quidem videtur, apparet; quum enim loca campestria inter montes essent, primum Cæsar narrat, quid factum sit, quum mons esset adscendendus, deinde, quid faciendum, quum descendendum esset de monte; tum enim non solum expeditis cohortibus, sed universis legionibus consistendum erat et equitatus repellendus. Ita factum est, quod ait Cæsar cap. 80: *Tali dum pugnatur modo, lente atque paullatim proceditur, crebroque, ut sint auxilio suis, subsistunt.* Quænam enim hæc est oratio: *expeditæ cohortes sæpius subsistunt* et (*legiones*) *crebro subsistunt, ut sint auxilio suis* (cohortibus expeditis)?

Sed his missis, quibus probare studui, *pluries* ferri non posse, quid tandem est, quod in vulg. lect. VV. DD. offenderit? Sane, si *subsistebant* c. 79 eadem ratione explicandum est, qua c. 80 *subsistunt*, neque ego ullum sensum commodum reperio; sed quid prohibet hoc vocabulum aliter explicare? Afferam duos Livii locos, quibus nostrum explicandum censeo: 1, 4, 9: *Hinc — iam non feras tantum subsistere* (ubi nihil varietatis notatur), *sed in latrones — impetus facere*; 9, 31, 6: *Postquam præpotentem armis Romanum nec acies subsistere* (codd. nonn. *sustinere*) *ullæ, nec castra, nec urbes poterant*

cat. 1). Apparet iam, qui factum sit, ut in cod. Hotom., Lipsii b., edd. prim. scribatur *sustinebant* 2); est nimirum glossa verbi *subsistebant;* nequaquam autem, quod Heldio visum, hoc verbum ad *sustinebant* explicandum adscriptum est. Hanc scripturam, *pluresque sustinebant*, Morus probavit, ut esset: pluribus pares erant (cfr. Oud. ad B. G. 2, 25, 1); cum eo facit Lemaire et fere Held.

Possem igitur eadem significatione 3) restituere codicum scripturam et ad eam tuendam comparare Dion. Cass. 41, 22: *τῷ πλήθει πολὺ περιῆν (ὁ Καῖσαρ τῶν πολεμίων).* Sed, ut verum fatear, vix putem Cæsarem tam nude scripturum fuisse *plures subsistebant*, si dicere voluisset cohortes Afranianas suos, qui numero plures essent, substitisse, neque caussam video, cur h. l. Cæsar maiorem suorum numerum prædicaret; suspicor igitur Cæsarem scripsisse: *equitesque in locis campestribus subsistebant*; nam cum solis equitibus Cæsarianis pugna illis erat, quod c. 78, 79, 80 sæpius dicitur (maxime c. 80, 4: *celeriter equitatus ad quotidianum itineris officium*

1) Eadem ratione usurpatur simile verbum *subsidere*, vid. Gronov. Obss, 1, 17 p. 106 sq. ed. Platn. et Intt. Virgil. Æn. XI, 268. — Ceterum in hoc loco interpretando mecum facere videtur Moser in Annal. Heidelb. 1828, m. Maio, pag. 514.

2) *Subsistere* et *sustinere* sæpius in codd. confundi iam Oudend. monuit, coll. V. L. B. C. 1, 64, 1; cfr. V. L. B. G. 5, 10, 2; Drakenb. ad Liv. 4, 39, 4; 8, 25, 9; 27, 7, 3; 37, 38, 4.

3) Ne cui mirum videatur, Cæsarem hoc verbo hic transitive, quod dicitur, usum esse, quum alibi apud eum non nisi intransitive usurpatum inveniatur, monendum puto, etiam Livium hoc verbo sæpe intransitive usum esse, ut 8, 25, 9; 9, 23, 6; 22, 12, 7 (ubi vid. Intt.), alibi, atque etiam id semel dativo iunxisse, vid. Gronov. ad 27, 7, 3.

revertitur); milites legionarii tantummodo sequebantur, ut iis, si opus esset, auxilium ferrent.

II, 4, 4. *Communi enim fit vitio naturæ, ut invisis, latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus vehementiusque exterreamur.*

Sic Ald., R. Steph., Manut., Scal., Oud. sqq.; edd. prim. et Ven. 1511 *invisis latitantibusque atque inc. rebus.* Dion. Vossius non sine caussa hæc verba sibi suspecta esse significavit et vereri se, ne quid a librario irrepsisset. Davisius autem hoc miratur, "quum optimos scriptores plura fere συνώνυμα coniunxisse nemini lateat." Re igitur, quam nemo ignorat, paucis exemplis probata, locum satis explicatum esse credere videtur. Sed, re accuratius perpensa, facile apparebit, ita Cæsarem neque potuisse scribere neque scripsisse. Primum enim *invisæ res* sunt res non visæ; sed, quod in vernaculo quodam proverbio dicitur, non afficimur iis, quæ non videmus. Tale quid sensisse videtur Brutus, quum codicis Carrar. scripturam *immissis, latitantibus atque incogn. cet.* probaret; esse enim *immittere* invito et nolenti ultro offerre atque obtrudere. Recte quidem Davisius monuit, hanc significationem parum huc convenire, sed quod ait *res invisas* esse *antea non visas*, ut apud Florum 4, 12, 27: *invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit* (Drusus), non vidit verba *in id tempus* non minus ad *invisum* quam ad *inaccessum* referenda esse. Deinde nemo facile dixerit, quænam sint *res latitantes*; *latitare* enim homines dici solent, qui

in aliorum conspectum prodire nolint 1). Accedit, quod *latitantibus* tantummodo in deterioribus codicibus, et ne in iis quidem omnibus, legitur; nam Havn. A., Petav., Leid. prim., Norvic., Lovan., Lem. B et C. habent *latitatis*, quod nihil est, sed unde alterum facile alicuius coniectura effici posset. Oudend., Th. Bentley, Oberlin., Held *latitantibus* ex glossa 2) irrepsisse putant, quod factum esse equidem non facile crediderim; Markland autem (Explicatt. pag. 267) ex *latitatis* scribendum coniecit *intentatis*, quod commemorasse sufficiet. Ad codicum ductum scribendum videtur: *ut invisitatis atque incognitis rebus*, h. e. rebus, quas non sæpe vidimus et propterea non cognovimus, quod h. l., ubi L. Nasidii classis respicitur, optime dici facile apparet. Constat præterea, vocab. *invisitatus* sæpe a librariis corruptum esse, vid. Intt. Livii 4, 33, 1; 5, 17, 8 (ubi pro *invisitatam* in tribus codd. est *invisam*); 5, 35, 4; 5, 37, 2; 27, 39, 8.

II, 21, 2. *Cæsar — tributis quibusdam publicis privatisque præmiis, reliquos in posterum bona spe complet.*

Sic omnes, ut videtur, editiones 1), neque, si Ciacconium exceperis, quisquam de scripturæ

---

1) Lucretius quidem (I, 643, 874, 876, 889) *latitandi* verbum de rebus usurpavit, et Ovidius (Metam. X, 449) *latitantia sidera* dixit; sed quod poetis dicere licuit, non continuo licet prosæ orationis scriptori.

2) Moser (l. c. p. 515) propterea hanc vocem additam fuisse censet, ne quis vocab. *invisis* male intelligeret.

1) Quod enim Scaliger et post eum alii verba *tributis — præmiis* superioribus adiunxerunt, nunc non curo, quum veteres

veritate dubitasse videtur, quæ tamen ferri nequit. Primum enim nemo facile dicet, quænam sint *publica*, quænam *privata præmia*; tum *tribuere aliquid* dici vix potest, nisi dativo personæ adiuncto 2); denique, quod maximum est, quinam sint illi *reliqui*, quos Cæsar bona spe complet, intelligi prorsus nequit. Ciacconius quidem ex verbis, quæ infra (§ 5) leguntur: *eadem ratione privatim ac publice quibusdam* 3) *civitatibus habitis honoribus*, etiam hic scribendum esse censuit *publice privatimque*. Sed hæc mutatio paullo violentior est, et ille locus potius ex nostro explicandus est, quam ex illo noster. Veram scripturam solus, si fides habenda est iis, qui reliquos codd. contulerunt, servavit Havn. A: *populis* (ita scriptum *popl'is*), quod quo modo in *publicis* abierit, ostendit scriptura codicis Achillis Statii *poplicis*. Lectione *populis* recepta omnia bene habent: Cæsar et *populis quibusdam* 4) *et privatis hominibus* præmia tribuit, *reli-*

editores non magis quam recentiores certas orationis distinguendæ regulas secuti esse videantur. Veram distinctionem cum ed. Ald., R. Steph. al. restituit Clarke.

2) Neque enim fore puto, qui mihi obiiciat locum Ovidii (Metam. 2, 45): *ut illud, me tribuente, feras*, aut Taciti (Annal. 4, 64): *ni Cæsar obviam isset, tribuendo pecunias ex modo detrimenti.* Priore enim loco et res et persona ex superioribus intelligendæ sunt, altero, quæ est Taciteæ orationis brevitas, persona latet in verbis *ex modo detrimenti.*

3) Quod in Petav. et Scaliger. legitur, *quibusque* (quæ scriptura sine caussa Grutero et Oudend. placuit), errore quodam ortum videtur; *quibusquedam*, quod est in Voss. et Havn. A., ex vera scriptura et eius varietate compositum videtur. Quid sit autem *honorem alicui habere*, docuit Madvig Epist. Crit. p. 100.

4) Eodem autem modo dativus personæ duorum ablativorum

quos autem spe complet beneficiorum in posterum accipiendorum. Eodem modo *populus* opponitur *privato* B. G. 6, 13, 6: *si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt;* sic enim ibi restituendum fuit ex optimis codd. et edd., loco vulgatæ scripturæ *publicus* (vid. quæ dixi in V. L. ad h. l. pag. 251). De re ipsa conferendus est locus Dionis 41, 24: *ἐτίμησε καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ πολλούς· καὶ τοῖς γε Γαδειρεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκεν, ἣν καὶ ὁ δῆμος σφίσιν ὕστερον ἐπεκύρωσε.* Gaditanis civitatem 5) datam fuisse etiam Liviana Epit. lib. 110 testatur; sed quibusnam aliis populis præmia tributa fuerint, dicere non possum; sed erant hæc sine dubio eiusdem generis atque ea, quæ, finito Hispaniensi bello, iis Hispanis, qui cum Caesare fecerant, tributa dicit Dio 43, 39: *τοῖς εὔνοιάν τινα αὐτοῦ σχοῦσιν ἔδωκε μὲν καὶ χωρία καὶ ἀτέλειαν, πολιτείαν τέ τισι καὶ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι* 6). Privatis hominibus quænam præmia tribui potuerint, non difficile est suspicari.

Quod autem dixi, verba § 5, quæ supra allata sunt, ex hoc loco explicanda esse, *honores privatim ac publice civitatibus* ita *habitos esse* censeo, ut et universis civitatibus data præmia fuerint et singulis in iis hominibus. Hanc enim verborum *privatim ac publice* vim esse apparet: B. G. 5, 55 extr.: *Tantam sibi — auctoritatem comparaverat, ut undique ad eum legationes concurrerent, gratiam atque ami-*

---

constructioni interponitur B. G. 6, 12, 6: *obsidibus Aeduis redditis;* cfr. B. C. 3, 32, 5: *universis imperatis pecuniis.*

5) Cfr. Ukert Geogr. d. Griech. u. Römer 2, 1 pag. 386.

6) Cfr. Ukert l. c. p. 336 sqq.

citiam publice privatimque peterent. Plura dabunt lexica.

Ceterum, ut hoc obiter moneam, paullo supra Kreyssig recte restituit scripturam, quæ in omnibus, quantum scio, editionibus ante Oberlinum servatur: *bona restituit iis, quos liberius locutos hanc* (Oberl. ex pessimis codd. Lovan., Dorv., Leid. sec. *ac*, quod iam Oud. non spernendum censuit) *poenam tulisse cognoverat*; bene enim observavit, quæ fuerit poena ex cap. 18, 5 et verbis *bona restituit*, quæ hic præcedunt, facile intelligi. Eodem modo sæpius pronomen *hic*, ut Græcorum ὅδε (vid. Erfurdt. et Hermann. ad Soph. Oed. Tyr. 101, Wellauer. ad Æsch. Sept. Theb. 613), de eo dicitur, quod quis in mente habet; exempla ex Cæsaris scriptis desumta dedit Held ad B. C. 2, 20, quibus addi possunt B. G. 5, 4, 4; B. C. 3, 112, 5 [7]; item B. C. 2, 43 extr., ubi Scal., Oud., recentt. plerique ex cod. Ursini [8] dederunt *ob timorem*; restituendum est au-

7) Etiam pronomen *is* sic usurpatur, vid. Sall. Jug. 54, 6; 83, 1; 114, 1. Ramshorns Latein. Gramm. § 159 pag. 354.

8) Hoc in Emendationibus suis, quibus de Ursiniani cod. scripturis solis fidem habendam esse monui supra in Prolegom. p. 13 sq., non commemorat, sed in Fragm. Hist. pag. 221. Ex hoc autem loco apparet, eum in his notis conscribendis aliorum codd. excerptis usum esse, quam in Emendationibus, in quibus optimi codicis scripturæ aliquot afferuntur. Initium notæ eius hoc est: "Reliqui hoc timore] v. c. ob timorem. Et paulo post habet idem v. c. lembunculi, pro, lenunculi. lenunculi tamen est in meo v. c." Simul apparet, quantum fidei tribui possit Jungermani editioni, in qua horum loco hæc leguntur (pag. 251): "*Reliqui hoc timore*] V. C. *ob timorem.* et paulo ante in meo V. C. est *lenunculi.*" — Ex Havn. A. exciderunt verba *reliqui — tardarentur.*

tem, quod Held vidit et Kreyssig fecit, ex cett. codd. et edd. vett. *hoc timore.*

II, 26, 4. *Equites committunt proelium; et — tota auxilia regis inpedita ac perturbata — in fugam se coniiciunt; equitatuque omni fere incolumi — magnum peditum numerum interficiunt.*

Displicet h. l. subiectorum, quæ dicuntur, mutatio: *equites committunt — auxilia . . . . in fugam se coniiciunt* — (equites) *interficiunt.* Igitur delendum puto *se*, ut ad *equites* tria illa verba pertineant. Sic B. G. 4, 12, 2 *reliquos in fugam coniecerunt.* Similiter, addito *se*, a librariis corruptum fuisse Livii locum 5, 7, 7 vidit Cuperus. Editur ibi: *Pedestris ordinis se nunc esse operamque reipublicæ extra ordinem polliceri.* Deleto pronomine et *que*, quod tres codd. omittunt, scribendum cum Cupero et Dukero: *pedestris ordinis nunc esse operam reipubl. extra ord. poll.* — Ceterum nostro loco scribendum est *Equitesque* auctoritate omnium codicum et editionum ante Scaligeranam.

II, 29.

In hoc capite tam multa corrupta sunt, ut editores de Cæsaris verbis restituendis omnino desperaverint; neque mihi non persuasum est, codicum, qui hucusque collati sunt, ope hæc numquam sanari posse; sed corruptionum caussis, quantum potero, indagatis, pauca emendare, in ceteris emendandi viam monstrare conabor. Ceterum in his

omnium superiorum commenta afferre longum et inutile foret, quæ qui cognoscere cupiat, Oudendorpium, Oberlinum, Dæhnium adeat; ea tantummodo, quæ mihi veritati proxima esse videntur, afferam.

Et primum quidem ex omnibus, qui hunc locum tractarunt, soli Rhellicanus et ex parte saltem Hotomanus intellexisse videntur, quæ corruptionum origo sit: *locum* nimirum *hiatibus plenum esse.* Ceteri, quasi nihil desit, verba tantummodo emendare conantur, quo nihil, ut mihi quidem videtur, fieri hoc loco ineptius potest. Sed videamus singula.

§. 1. *Atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor; nam is variis hominum sermonibus augetur.* Primum non magnopere placet illud *atque*, quum versu superiore legatur *atque ita suas uterque copias reducit*, ferri tamen non nego posse; sed fere verum videtur *At*, quod Manut., Ursin., Lips., Scal. eius loco ediderunt; quæ particula sæpissime ita a Cæsare et Sallustio usurpata est [1]) atque etiam alibi in *atque* abiit (v.V. L. ad B. G. 4, 25, 3; B. G. 3, 96, 2). Tum vero non ferenda censeo verba, quæ continuo sequuntur: *magnus omnium incessit timor*; dicitur quidem, quod Oud. observavit, absolute *timor incessit* (B. C. 3, 44, 6; 3,

1) Ne nimia exemplorum copia lectoribus tædium crearem, Cæsariana exempla ex solis Comm. de B. C. afferenda putavi: 1, 13, 5; 1, 49, 1; 2, 7, 3; 2, 14, 1; 2, 39, 6; 2, 41, 5; 2, 42, 4; 3, 13, 1; 3, 28, 5; 3, 36, 6; 3, 47, 3; 3, 49, 6; 3, 51, 3; 3, 71, 4. Sallustiana quædam hæc sunt: Iugurth. 33, 3; 58, 6; 97, 1.

101, 3; Bell. Alex. 7, 1; cfr. Liv. 2, 27, 10; 9, 4, 6); sed inde nondum sequitur dici posse *timor omnium incessit*; nam ubi nulla additur persona, hanc locutionem de *omnibus* intelligendam esse patet; cur igitur h. l. additur *omnium*, præcedentibus præsertim verbis *in castris Curionis?* Ex copia, inquient, Cæsari familiari. Hoc utcumque ferrem, si nulla alia de caussa locus suspectus esset; sed accedunt verba *nam is*, quæ corrupta esse non est difficile videre; quid enim? verba *nam is — augetur* nihil offensionis haberent, si universe Cæsar dicere voluisset; sed ex sequentibus *unusquisque enim opiniones fingebat cet.* patet, hic tantummodo de eo timore sermonem esse, qui tunc temporis in castris Curionis erat, qui cur auctus fuerit, postea dicitur. Hæc perspexit D. Vossius, qui scribendum coniecit: *magnus omnium incessit timors animi. Is var. cet.*; sed hunc verborum ordinem ferri non posse, iam Clarke vidit. Davisius autem (in Curis Secundis) nihil facilius esse iudicat, quam Cæsaris manum adsequi: scribendum enim *magnus omnes* (hoc iam Hotom. coniecerat) *incessit timor; nam is variis cet.*; sæpius enim dici *aliquid aliquem incessere*; sed quis hoc ignorat? verum ista ratione puerorum specimina corrigenda sunt, non veteres scriptores. Facilius ferrem alteram Hotomani coniecturam *omnium mentes*; sec ne hæc quidem rem conficit; apparet enim, quod idem Hotom. vidit, hic aliquid deesse. Nusquam enim dicitur, unde hic *timor* ortus sit; nam inde, quod S. Quintilius Varus Curionis milites ad defectionem sollicitare conatus erat, quum *nullam in partem ab exercitu Curionis facta*

esset significatio (cap. 28 extr.), timor oriri non potuit; et ex verbis corruptis, quæ infra leguntur: *neque enim ex Marsis Pelignisque veniebant, ut qui superiore nocte in contuberniis cet.*, iure suspicari mihi videor, fuisse in Curionis castris nocturnum aliquem tumultum, unde defectionem a Marsis et Pelignis oriundam reliqui suspicarentur. Idem Lucanus testari videtur (Phars. 4, 699 sqq.):

Sed postquam languida segni
Cernit cuncta metu, *nocturnaque munia valli*
Desolata fuga, trepida sic mente profatur.

Itaque, nisi fallor, vocabula *nam is* 2) ex sequenti vocab. *variis* orta sunt (scribitur enim in codd. *nā is* et *uariis*, fortasse etiam *uaris*), ut iungendum sit *timor variis hom. serm. cel. augetur*; post *incessit* autem quædam exciderunt, quæ coniecturis restitui non possunt.

Quæ deinde sequuntur, sana videntur, usque ad verba *Civile bellum*; sed hinc locus desperatissimus incipit, de quo in universum hoc monendum videtur, Cæsarem, summis tantummodo rerum capitibus allatis, rationes commemorare, cur duces et milites, qui Cæsaris partium essent, ceterorum defectionem timerent 3). Prima verba ita scribenda videntur: *Civile bellum; genus hominum* (nimirum

2) Nam quod in Havn. A. et aliis fortasse codd., licet nihil notatum sit, scribitur *nam his*, vulgaris error est.

3) Falsum est enim, quod Held dicit: "Es mag daher hinreichen im Allgemeinen zu bemerken, dass ihr Inhalt eine nähere Auseinandersetzung der Gründe muss gewesen seyn, welche die Soldaten Curio's zur Unzufriedenheit und zu aufrührerischen Gedanken brachten."

civium Rom.), *cui, quod liberet, liceret facere* 4) *et sequi quod vellet* 5); *legiones eæ, quæ paullo ante apud adversarios fuerant.* Sequuntur hæc: *Nam etiam Cæsaris beneficium mutaverat consuetudo, qua offerrentur* 6) *municipia etiam cet.* Mihi certissimum videtur scribendum esse *offerretur* et post hanc vocem plenius distinguendum (id quod iam Scaliger fecit). Cæsar his verbis ostendit, milites olim Domitianos nonnullo a se beneficio affectos esse, quos ad Corfinium deditos sacramentum apud se dicere iusserat (1, 23, 5; 2, 28, 1; 2, 32, 8); sed nihilo minus iis fidem haberi non posse, quod *consuetudo, qua hoc beneficium offerretur* 7), quum omnes, qui in Cæsaris manus pervenerant, incolumes ab eo dimissi essent, *ipsum beneficium mutaverat*, ut non amplius pro beneficio, sed fere pro debito haberetur 8). Eadem fere de Cæsaris victoria in pugna Pharsalica habet Velleius (2, 52 extr.): *Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem, nisi acie con-*

---

4) Hæc Schnellii (apud Oberl.) coniectura est, cui Ursinus, Ciacconius, alii emendandi viam monstraverant; quæ alia habet h. l. Schnellius, iis uti non possum.

5) Sic cod. Ursin., Havn. A., Petav., Leid. prim., Voss., alii, ed. Scalig. sqq. — Reliqui codd., edd. prim., Ald., Steph. al. *vellent.*

6) Sic Havn. A., Petav., Scalig., Palat., Bong. aliique sine dubio, edd. Ven. 1471. 1511., Vascos., Steph., Scalig. sqq.; *quæ offerrentur* ed. Aldd., Manut. al. — *qua offerentur* ed. Rom., Mediol., Davis.; *qua efferrent* Carrar.; *efferrentur* Leid. sec.

7) B. G. 6, 42, 3. *Germani - optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerant.*

8) Tale quid Ciacconio obversatum fuisse puto, quum coniiceret *minuerat.*

sumptum, civem patria desideravit: sed munus misericordiæ corrupit pertinacia, quum libentius vitam victor iam daret, quam victi acciperent. Cfr. Flor. 4, 2, 92. Quæ continuo sequuntur, cum Schnellio scribenda sunt: *Municipia* *eadem* (codd. *etiam*) *diversis* 9) *partibus coniuncta.*

In his autem scriptoris sententiam spero me assecutum esse; sed quæ deinde leguntur, coniecturis restitui nequeunt, quum multa deesse videantur. Quantum video, ut in prioribus rationes afferebantur, cur timenda esset defectio, ita hoc loco allatæ fuerunt rationes, cur Curioni (nam de eo sermonem esse, ex cap. 30 init. apparet, ubi *incipit* de Curione dici dubitari nequit; cfr. etiam c. 31, 5) tamen non nimis timendum esse videretur; quod si verum est, multa inter hæc verba exciderint necesse est. Totum locum ita fere edendum censeo: * * *neque enim* 10) *ex Marsis Pelignisque veniebant, ut qui superiore nocte in contuberniis* * * † *commilitesque* 11) *nonnulli graviora* 12) * * *Sermones militum*

---

9) Sic Havn. A. cum plerisque codd. et edd. vett., Oud. sqq. — Male Scalig. al. ex cod. Carrar. *adversis.*

10) Sic Havn. A. cum plerisque, ut videtur, codd. et edd. vett. — Carrar. *namque enim*, quod Heinsio et Davisio placuit. Norvic. omitt. *neque.*

11) Sic Havn. A. cum plerisque codd., edd. prim., Ald., Steph. al. — Norvic. *cum militesque;* Palat. (teste Davisio; nam in Fabriciano nihil legitur) *cum militisque;* Carrar. *cum milites.* — *Commilitonesque* primum in ed. Manut. conspexi, quod receperunt Lips., Scalig., Oud. sqq. — Vocabulum corruptum esse apparet.

12) Sic Petav., Voss., Havn. A., Leid. prim., Scalig., Norvic., Lovan. — Carrar. omnesque, ut videtur, editiones *graviores.*

dubii 13) *durius accipiebantur* 14)*; nonnulli* 15) *etiam ab iis, qui diligentiores videri volebant, fingebantur.*

II, 32, 11. *Diligentiam quidem nostram, aut quem ad finem adhuc res processit, fortunamque cur prætercam.*

Sic pleræque editiones (edd. prim. 1), Ald., Scal., Oud.), neque inter veteres criticos quemquam invenio, qui se de huius scripturæ veritate dubitasse professus sit Clarkius primus adscripsit: "Postulare videtur linguæ Latinæ ratio, ut legamus *processerit.*" Eius notæ hæc subiecit Oudend.: "Cave tamen, quid mutes: sæpe contra Grammaticorum regulam in his utuntur Auctores Indicativo." Similia post Oud. Oberlinus et Dæhne dixerunt; neque discedere videtur Held, cuius observationem me non satis intelligere fateor: "der Satz ist nicht als ein indirect fragender zu betrachten, sondern als ein Relativsatz, der das Substantivum, auf welches er sich bezieht, durch Attraction in sich aufgenommen hat, und so viel bedeutet als: *finem, ad qucm res processit.*"

---

13) Sic Petav. et Norvic., quod iam Davisio et Oud. placuit. — Havn. A., Leid. prim., Scalig., Lovan. *dubia;* Voss. *duabus;* Carrar. et edd. omnes *vulgo.*

14) Sic Havn. A., Petav., Leid. prim., Scalig., Voss., Norvic., Palat., Dorvill. — Lovan. *accipiantur;* Carrar. et edd. omnes *accipiebant.*

15) Sic octo codd., quos supra enumeravi (Norvic. fortasse excepto, de cuius scriptura Davis. tacet). — Lovan., Carrar., edd. omnes *nonnulla.*

1) Nam quod 4 codd. et edd. ante Ald. habent *vestram* pro *nostram*, vulgaris error est.

De isto quidem indicativo in enunciationibus obiectivis hoc in universum observandum videtur, nondum quemquam rem ita tractasse, ut ad liquidum perducta dici possit: satis habuerunt plerique exempla ex vulgaribus interdum editionibus prolata congerere et ad alios VV. DD., qui eamdem rem tractarunt, lectores ablegare; nondum autem omnia, quæ a pluribus collecta sunt, in unum congesta et ad criticæ artis regulas examinata sunt: quod quominus hoc loco faciam, quum alia obstant, tum quod hæc quæstio a Cæsaris scriptis aliena est; nam quod Oberlinus ait: "*frequens* est id ἀνακόλουθον apud nostrum," hoc quum verbo affirmaverit, verbo satis est negare: nullum enim eius generis exemplum in Cæsaris scriptis legitur.

Non possum igitur hic omnes illos locos tractare, quos collegerunt viri docti, quorum nonnulli iam ab Oud. et Dæhnio laudati sunt: Wopkens Lect. Tull. 2 c. 5 (p. 144 sq. ed. Amstel. 1730), Ruddim. Institutt. Gramm. Lat. p. 2. p. 347 sq. ed. Stallb., Garaton. ad Cic. Milon. c. 18 p. 220 sq., c. 23 p. 246 ed. Lips., Matthiæ ad Cic. Rosc. Amer. c. 30, 83, Goerenz ad Fin. 5, 10, 30 p. 566, Beier ad Offic. 1, 7, 23 p. 52; 2, 5, 16 p. 36; 2, 7, 23 p. 47; multo minus de *locis plus quam* 50, quos a se collectos scribit Goerenz ad Academ. 2, 14, 46 p. 88, dicere quidquam possum. De tota re pauca monebo. Usos illo indicativo fuisse Plautum (vid. potissimum Pareum in Mantissa Lex. Crit p. 59 sq., Wolf. ad Orat. ad Quir. p. Red. 1, 4 pag. 90), Terentium recentioresque nonnullos poetas (cfr. Jahn ad Horat. Od. 1, 14, 6; locus autem Sat. 2, 4, 38 etiam

aliter explicari potest, id quod Heind. vidit; Propert. 2, 34, 33 sqq.; 3, 5, 25 sqq. ed. Barth. al.) certum est; neque vehementer pugnabo, si quis etiam recentiores prosæ orationis scriptores illo usos esse dicat (cfr. Ruhnk. ad Rutil. Lup. 2, 6 p. 98; Wolf ad Orat. pro Domo 49, 127 pag. 277). Sed ubi de scriptoribus prosæ orationis, qui optima ætate vixerunt, sermo est, non dubito cum Zumptio (Latein. Gramm. c. 78, 8 §. 553 pag. 446 ed. 6tæ) contendere, eiusmodi locos aut aliter interpretandos aut corruptos esse 2). Nam quæ varia harum enunciationum genera constituit Ramshorn (Latein. Gramm. §. 174 pag. 497 sq. coll. Iahns Iahrbüch. f. Philol. IV, 1 pag. 40), potius miscuit omnia, quam ut aliquid distinxerit, quod ei optimo iure obiecit Zumpt (Iahns Iahrb. IV, 3, Litterar. Anzeiger No. V. pag. 3 sqq.). Mirum est autem fuisse, qui sibi persuaserint verum esse, quod Ramshorn (Gram. l. c.) tradidit, indicativo in enunciationibus obiectivis locum esse, si quid *certi* diceretur; nam si hoc satis est ad soloecismos defendendos, ratiunculam aliquam excogitare, qua explicari possint, nihil non defendi potest. In loco autem Cic. Fin. 2, 5, 15, quo Ramshorn in Gramm. usus est (*si non intelligam, quid Epicurus loquitur)*, se errasse confessus est, a Zumptio (Iahns Iahrb. l. c.) monitus, ipse Ramshorn (Iahns Iahrb. V, 4, Litterar. Anzeig. No. VII pag. 3); sed decepit eum fortasse Goerenz, qui ad Fin. 4, 24, 67 pag. 505 ait corrigendum fuisse in loco 2, 5, 15

2) Cfr. Creuzer ad Cic. N. D, 1, 41 extr. pag. 188 sq. Thortsen de Coniunctivo Modo pag. 136.

ex tribus optimis suis *quid Epicurus loquitur*; sed etiam hic errasse videtur et id, quod 2, 5, 15 in tribus potioribus suis esse dixit *qui ita loquitur*, altero loco ad versum superiorem retulisse. Sic in meris erroribus versamur.

Plures autem locos, ubi in qdd. edd. indicativus erat, ex codd. emendatos esse[3], iam Zumpt (Iahns Iahrb. l. c.) monuit, quibus hi addi possunt: Cic. Verr. 3, 26, 64 ex cod. Huydecop. coniunctivum recepit Orelli; ibid. 4, 6, 12 coniunctivum, quem idem vir doctissimus ex cod. Guelf. recepit, nunc firmat Cod. Reg. auctoritas, ex quo nihil varietatis enotatum est (v. Madvig Epist. Crit. p. 143); idemque locum Cic. Flacc. 6, 13 distinctione sanavit cum Ven., Iu., Huldrico. Etiam Rutilii locum II. c. 8 meliore distinctione sanandum esse, monuit me Madvigius meus. Verba ita leguntur in *ed.* Ruhnk. pag. 112: *BRACHYLOGIA. Hoc fieri solet, cum orator brevitate sententiæ præcedit auditoris exspectationem. LYSIÆ: Quæres a me, quo iure obtinere possim, quo iure mihi Polyænus reliquit, prætor dedit possessionem? Leges me defendunt, ad te non pertinent: hi veritatem sequantur.* Distinguendum est: *Quæres a me, quo iure obtinere possim? quo iure mihi Pol. reliquit, prætor dedit possessionem.* Posterior huius loci pars responsum continet prioris.

3) Plures eiusmodi locos sine dubio dudum correctos haberemus, nisi editores nonnulli vereri viderentur talia vitia emendare, quæ illustres patronos nacta essent, ne forte alii, doctiores scilicet, ipsis ignorantiam illorum locorum obiicerent, ubi similes loci a viro aliquo doctissimo pro genuinis habiti essent.

Quidquid autem de iis locis iudicetur, ubi in omnibus aut nonnullis codd. indicativus est, omnes tamen mihi concessuros esse spero, non esse talem indicativum scriptori alicui ex coniectura obtrudendum, quod Ellendt facere voluit ad Cic. Brut. 40, 147 (pag. 107 sq.), ubi scribendum coniecit: *Rutilio: qui qua utebatur familiaritate Scævolæ, nosti*: oblitus scilicet eorum, quæ ipse monuerat ad 3, 13 pag. 18. Neque facile quisquam negabit, non melius rem egisse O. M. Müllerum ad Cic. Orat. 1, 42, 190, ubi duplici soloecismo Ciceronem beavit. Verba hæc sunt: *Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi, apud quos hæc haberetur* [4] *oratio, cernerem.* Jam quum Goerenz ad Academ. 1, 2, 4 pag. 7 *cum quibusdam vetus editis* (ita loqui solet) scribendum esse dixisset *habetur*, Müller hoc recepit, quod equidem non miror; sed valde miror hoc probare potuisse Orellium. Scilicet boni illi viri ex Germanica lingua de temporum usu in lingua Latina iudicabant, ignorantes videlicet, ita sæpissime locutos esse, non Ciceronem solum, sed omnes, puto, qui bene Latine scripserunt, ut et ea, quæ tunc, quum loquerentur, fierent, et ea, quæ universe dicerentur, tamen præterito verbi tempore proferrent, si enunciatio ex verbo præteriti temporis penderet. Attulisse sufficiat Cic. Orat. 2, 86, 353: *Simonides — invenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriæ lumen afferret*; cfr. Orat. 1, 36, 165; 2, 50, 204; Brut. 80, 276; Rosc. Amer.

---

4) Hoc etiam in duobus codd. est, qui in Bibl. Reg. Havn. servantur.

41, 119; Catil. 3, 5, 11; Ligar. 1, 1; de Senect. 8 extr.; Wopkens Lect. Tull. 1, 7 p. 33 sqq.; Wolf in Anal. Litterar. 1, 2 p. 297; Ellendt ad Brut. 32, 124 p. 92 sq.; Zumpt Lat. Gramm. 76, 13 not. §. 514 pag. 415 sqq.

Miror autem, Frid. Kritzium, quem virum ceterum ex paucis illis, quæ in eius editione Sallustii Catilinæ (Lips. 1828) adhuc legi, magni faciendum esse iudico, ad 20, 5 pag. 98 sq., 53, 2 pag. 282 Ramshornio credere voluisse, ad has enunciationes, quæ non minus relativæ sunt quam Iug. 56, 2, explicandas pertinere *consiliorum vere initorum fidem* aut *veritatem*, *quæ in rebus ipsis insit.* Plura se de hac re dicturum promittit ad Iug. 4, 4, quæ sane vehementer exspecto; interim meum de hoc loco iudicium proferam. Corte ex plerisque codd. edidit: *Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sum*[5], *et quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quæ genera hominum in senatum pervenerint; profecto existumabunt, me magis merito, quam ignavia, iudicium animi mutavisse cet.* Ait nimirum, Crispum in tali permutatione delicias facere. Gerlach ex paucis codd. recepit *sim*, quæ utique est librarii alicuius paullo doctioris emendatio; sed in notis pag.

5) Idem legitur in Ascensii editione Operum Sallustianorum (Lugduni 1519, 4), quæ commodum ad manum est. In eadem editione, ut hoc obiter moneam, fol. 117, b. — 122 legitur *L. Catilinæ in Ciceronem secunda responsiua*, quam Wolf (Proleg. ad Orat. Marcell. p. XXX) ineditam esse putabat. Habetur item fol. 116, b. *Catilinæ in M. Tullium responsiua inuectiua prior*, et fol. 115, b. *Ciceronis quinta in Catilinam inuectiua.*

219 indicativum probare videtur, quum hæc dicat: "potest videri Salustius elegantiam quamdam sectatus esse, ita ut, quod ad ipsum pertinuit, firmissime asseveraret, cetera incertiora poneret." — Sed si locum ipsum accuratius inspicere voluissent VV. DD, facile intellexissent, ineptam esse sententiam. Sallustius, allatis rationibus, cur *hac tempestate cura rerum publ. minime cupiunda videatur* (cap. 3), iis occurrit, a quibus se inertiæ accusatum iri suspicatur, quod procul a republica ætatem agere decrevit. Quid, quæso, ad ipsum defendendum valet, quibus temporibus magistratus adeptus sit, commemorare, et quales viri repulsam tulerint? Certissimum est, scripsisse Sallustium: *Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sum quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quæ genera hominum in senatum pervenerint: profecto existumabunt cet.* Hoc quum coniectura adsecutus essem, postea vidi idem firmari cod. Med. 8[6]. Jam optime cohærent omnia: dicit Sallustius, se non *inertem* esse inde probari, quod iis temporibus magistratus adeptus sit, quibus etiam clari viri repulsam ferrent; si voluisset autem alios postea magistratus adipisci, hoc non difficile futurum fuisse,

6) Hic codex, in eorum usum factus, qui rhetoricam tractant, orationes habet ex Sallustio aliisque excerptas et præfationem belli Jugurthini. Exemplar satis bonum librarius secutus videtur Gerlachio (T. 2 p. 1, Præf. p. 39). Facile autem intelligitur, qui fieri potuerit, ut talis codex non eamdem interpolationem passus sit, quæ in Sallust. codicibus omnibus esse videtur. Quod autem Gerlach dixit, se propterea hanc scripturæ varietatem attulisse, *ne quod exemplum librariorum levitatis in delendis vocibus intelligentes fugeret*, paullo calidius dictum videtur.

quum pessima hominum genera in senatum pervenirent (tangi autem his Cæsaris senatum, Gerlach recte monuit). Recte iam sibi opponuntur *quibus temporibus* et *postea*, *quales viri* et *quæ genera hominum*, id quod ipsa verborum collocatio satis ostendit; solitos autem fuisse librarios membra orationis sibi respondentia efficere et propterea medium *et* nostro loco addidisse neminem fugit (cfr. Madvig Epist. Crit. pag. 37 sq.).

Sed ad Cæsarem revertor. Et primum quidem videamus, quænam sit nostro loco vulgatæ scripturæ sententia, si indicativum pro coniunctivo positum esse concedamus: ait Curio, se non præteriturum esse *diligentiam suam*, neque *quid adhuc factum sit*, neque *fortunam suam*; ut de miro horum membrorum ordine nihil dicam, scire pervelim, unde probari possint diligentia et fortuna Curionis, *nisi ex* iis, quæ adhuc gesta sint. Ineptum est autem tria orationis membra facere, quorum primum et tertium in secundo lateant. Deinde Havn. A., Petav., Leid. prim., Voss., Scal., Dorv., Palat. omittunt *que* post *fortunam* 7); apparet igitur, locum iam dudum recte scriptum et distinctum fuisse in edd. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Strad.: *Diligentiam quidem nostram aut, quem ad finem* 8) *adhuc res processit, fortunam cur prætercam?* Jam vide, quam bene omnia cohæreant: ait Curio, nullam

---

7) Præterea Petav. et Havn. A. omittunt *res*, ita ut Petav. habeat *adhuc processit fortuna*, Havn. A. *adh. proc. fortunam*.

8) Cfr. Cic. Catil. 1, 1, 1 et ibi intt. — *Diligentia* autem inter virtutes imperatorias refertur etiam B. G. 1, 40, 4: *cur de sua virtute aut de ipsius diligentia desperarent?*

esse idoneam caussam, cur sibi infesti sint milites; de suis in eos meritis se non esse prædicaturum, quod et minora sint et milites non ante bellum feliciter finitum præmia sua petere debeant[9]; non prætermittendas autem esse diligentiam suam et fortunam, qua adhuc usus sit: salvum esse exercitum, victos hostes, omnium adesse rerum copiam[10].

III, 11, 1. *Vibullius, his expositis a Cæsare, non minus necessarium esse existimavit, de repentino adventu Cæsaris Pompeium fieri certiorem,*

---

9) Hæc enim sententia esse videtur verborum § 10: *sed tamen sui laboris milites semper eventu belli præmia petiverunt.* Cfr. c. 39, 3.

10) Hanc esse sententiam verborum, quæ paullo post leguntur: *quod ex portu sinuque adversariorum ducentas naves onerarias abduxerim*, docent extrema verba cap. 25: *quæ res omnium rerum copia complevit exercitum.* Propterea nostro loco probaverim fere cum Lemaireo et Heldio scripturam cod. Petav., Voss., Havn. A., ed. Rom., Ven. 1471, Mediol. 1478 *oneratas* (Mediol. 1477 *honeratas*). Dubium me faciunt duo Cæsaris loci, quos Kreyssig laudavit, B. C. 3, 8, 3, ubi naves militibus oneratæ dicuntur *onustæ*, et 3, 23, 2: *unam* (navem) *frumento onustam abduxit.* Inde tamen non continuo sequitur, dici non posse absolute *naves oneratas.* Deinde autem non dubito, quin restituenda sit plerorumque codd. et edd. scriptura *adduxerim.* Ciacconius solus ex codice Viterbiensi protulit *abduxerim*, quod iam Manutio placuerat; recepit Oud. ed. min. (unde in ed. Stutgard. migravit), tum Oberlin. et recentt. Constat quidem, quam sæpe *ab* et *ad* in codd. confundantur; sed inde non sequitur, ut obscurum aliquem codicem ceteris præferamus, quum præsertim h. l. non tam id esset commemorandum, quod hæ naves ab hostibus *abductæ*, quam quod ad Curionis castra eiusque militum usum *adductæ essent.*

uti ad id consilium capere posset, antequam de mandatis agi inciperet.

Sic Manut., Ursin., Lips., Scal., Oud., recentt.; sed hæc a Cæsare ita scribi non potuisse, facile apparet; quo enim verba *non minus necessarium esse existimavit* referenda sunt? neque additur alterum comparationis membrum, neque ex prioribus intelligi potest. Corrupta igitur hæc esse facile intelligitur; sed quid scribendum sit, eo difficilius est dicere, quod etiam ea, quæ paullo post leguntur, adeo corrupta sunt, ut sine meliorum codicum auxilio sanari nequeant; conabor tamen explicare, quo modo res acta esse videatur.

Et primum quidem verba *a Cæsare* ex Manutii conjectura profecta esse videntur; omnes enim codd., edd. prim., Ald., Vascos., Steph. al. habent *Corcyræ* (Havn. A. *cortyre*); deinde *Vibullius*, quod in edd. Aldin. primum legitur, in nullo codice repertum est; codd. enim omnes cum edd. prim. *Bibulus.* Inde hæc oritur codicum scriptura: *Bibulus, his expositis Corcyræ cet.*, quam Flade (ap. Dæhn.) et Held (in ed. sec.) defendere conantur; censent enim Bibulum, Corcyræ certiorem factum de adventu Cæsaris (c. 8, 3), ipsum ad Pompeium profectum esse, ut ei Cæsaris adventum nuntiaret, antequam de pacis conditionibus agi inciperet; quum enim (ex Heldii sententia) Pompeius per nullum alium quam per Vibullium Cæsaris mandata cognoscere posset, nullam Vibullio caussam fuisse itineris maturandi, ne Pompeius Cæsaris mandata prius cognosceret, quam de eius adventu certior factus esset. Sed primum observandum est, nusquam hoc

Bibuli ad Pompeium iter commemorari, deinde fere certissimum videri, Bibulum in classe permansisse (vid. c. 8, 4; 14, 2; 15, 1 et 6; 16, 2; 18, 1). Praeterea ex Cæsaris narratione (c. 18, 3 *Vibullius, sedato tumultu cet.* coll. cum c. 13, 2) apparere videtur, Vibullium fuisse, qui Pompeium de Cæsaris adventu certiorem fecerit. Censeo igitur scribendum esse h. l. cum Aldo sqq. *Vibullius*. Codicum enim in hoc nomine exigua auctoritas est, quum ubique fere corruptum legatur: 1, 15, 4 Havn. A. habet *bubillium* et *bibullius*; al. codd. *Bibullium*. — 1, 23, 2 Havn. A. cum plerisque codd. *L. cælicius spinter rufus*. — 1, 34, 1 Havn. A. et alii codd. *iubellium*; Petav., Pal., Bong. 3 al. *Vibellium*. — 1, 38, 1 Havn. A. *iubuli;* al. *Vibuli* (sic Pal., Lovan.), *Bibuli* (sic Bong. 3), *Vibellii* (sic Petav.), *Vibili*, *Jubilii*. — 3, 10, 1 Havn. A. et Petav. *bibulum*; al. *Jubilium*, *Bibullum*, *Bibulium*. — 3, 18, 3 Havn. A. diserte habet *Vibullius*; sed al. codd. *Bibullius* (sic Petav.), *Bibullus* (sic Lovan.), *Bibulus* (sic Bo. 3). — Apparet igitur, ubicumque de *Vibullio* sermo sit, sanam rationem esse sequendam; ut cap. 15, 8 *profectum aliquid Vibullii* (codd. et edd. ante Oud. *Bibuli*) *mandatis existimabatur* scribendum esse Canterus, Ciacconius multique alii viderunt. Idemque nomen restituendum est 3, 22, 1, ubi in edd. omn. legitur *quæ mandata ad se per* B i b u l u m *delata essent*; sed Havn. A., Petav., Scalig., cod. Ursin. al. *Bibullium*, unde *Vibullium* scribendum esse Ursinus et D. Vossius viderunt. Quod autem Hotom., Clarke, Oud. dicunt, Vibullium a Cæsare ad Pompeium, non a Pompeio ad

Milonem missum esse, obliti esse videntur, Vibullium Pompeianum fuisse, et omni veritatis specie carere, Pompeium mandata dedisse (aut hoc dicere Milonem, Pompeium mandata dedisse) per Bibulum, hominem consularem et totius classis præfectum. Reliqui scriptores de hac re tacent; quod autem Clarke ait, hoc factum esse, quum per Italiam Bibulus copias cogeret, Bibulus, qui initio belli civilis Syriam pro consule regebat (Dio Cass. 40, 65), ne fuisse quidem tunc temporis in Italia videtur, sed ex Syria statim ad Pompeium profectus esse, quum in turbis, quæ belli initio Romæ fuerunt, de eo altum silentium sit. B. C. 1, 6, 5 commemoratur, Q. Metellum Scipionem Bibulo successurum esse; sed etiamsi hic ante Pompeium ex Italia profectus sit (Plut. Pomp. 62), tamen Bibulo in Italiam revertendi tempus non fuit. Præterea monendum *est*, *Bibuli* nomen in his libris nusquam in codd. corruptum esse, si fides habenda est iis, qui eos contulerunt (vid. 3, 5, 4; 3, 7, 1 et 3; 3, 8, 3; 3, 14, 2; 3, 15, 1 et 6; 3, 16, 2 et 3; 3, 18, 1; 3, 31, 3; 3, 110, 6).

Sed, ut ad nostrum locum revertar, inest huic de *Vibullio* narrationi difficultas, quam Davisius ad h. l. tetigit; legitur enim cap. 10, 1: *Demonstravimus, L. Vibullium Rufum — bis in potestatem pervenisse Cæsaris atque ab eo esse dimissum, semel ad Corfinium, iterum in Hispania.* Si bis a Cæsare dimissus esset Vibullius, quænam cum eo colloquendi facultas Cæsari fuerit, scitu difficile iudicat Davisius, qui propterea suspicatur, eum tertium alicubi captum fuisse, coll. Plutarch. Pomp.

65: *'Ιούβιον'* 1) *δὲ, τὸν Πομπηΐου φίλον, αἰχμάλωτον ἔχων σὺν ἑαυτῷ, πρὸς Πομπήϊον ἀπέστειλε.* Sed non satis accurate Cæsaris verba considerasse videtur, quæ paullo post leguntur: *Hunc pro suis beneficiis Cæsar idoneum iudicaverat, quem cum mandatis ad Cn. Pompeium mitteret.* Ex hoc tempore plusquamperfecti apparere videtur, Cæsarem iam in Hispania Vibullio, antequam dimitteretur, hæc mandata dedisse 2). Videtur quidem huic sententiæ adversari, quod in his mandatis commemorantur (10, 5) *mors Curionis et detrimentum Africani exercitus militumque deditio ad Corcyram*, quæ post bellum in Hispania finitum acciderunt; sed non credo equidem me Cæsari iniuriam facere, si dicam, mandata, quæ nos legimus, non tam ad Pompeium data quam posteritatis caussa scripta esse; quod autem temporum rationem habere oblitus esse videtur, celeritati tribuendum esse iudico, qua hi commentarii (et, nisi fallor, præcipue tertius liber) conscripti sunt.

---

1) Esse enim hunc eumdem, qui a Cæsare *Vibullius* vocatur, dubitari vix potest; sed, utrum hic error Plutarchi dicendus sit an librariorum, diiudicare non audeo. Ceterum Vibullium ad Corfinium dimissum esse, legimus 1, 23; eum in Hispania dimissum esse non narratur quidem disertis verbis, sed apparet coll. 1, 85, 12 (et Livii Epit. 110, Plut. Cæs. 36, Dio 41, 23) cum 1, 34, 1 et 38, 1.

2) Eadem Marklandi sententia fuit (Explicatt. Vett. Auct. p. 270). Trahi huc possunt Appiani verba (B. C. 2, 43): *Γενόμενος ὁ Καῖσαρ ἐπὶ τοῦδε τοῦ ποταμοῦ (τοῦ Οὐάρου) συνήγαγεν αὐτῶν ἐς ἐπήκοον ὅσοι ἦσαν ἔκ τε Ῥώμης καὶ Ἰταλίας καὶ ἐδημηγόρησεν ὧδε.* Commemoratis suis in eos beneficiis, ita concludit: *εἰ δή τις ἐστί μοι παρ' ὑμῶν ὑπὲρ τούτων χάρις, φράζετε αὐτὰ τοῖς Πομπηΐου στρατιώταις ἅπασι. Τοσάδε εἰπὼν, τοὺς μὲν ἀπέλυεν ἀπαθεῖς κ. τ. ἑ.*

Hæc de Vibullio; sed deinde restituere non dubito librorum scripturam *Corcyræ*, quam Dæhne recte intellexit: "Vibullius primum hæc Bibulo Corcyræ exposuit, tum contendit ad Pompeium, quem de adventu Cæsaris faceret certiorem." Neque enim mirum est, Vibullium hæc mandata Bibulo, qui cum CX navibus Corcyræ erat (v. c. 7, 1 alibi), exposuisse, quippe qui inter Pompeianos fere princeps esset, cognitoque apud eum Pompeii et Pompeianorum in Cæsarem animo, non tanto opere maturandum sibi existimavisse, ut mandata Cæsaris, quippe nihil effectura, ad Pompeium deferret; sed postquam ipse cum Bibulo Corcyræ (c. 8, 3) de Cæsaris adventu certior factus esset, *non minus* (quin fortasse multo magis) *necessarium iudicasse*, hunc Pompeio nuntiari, quam mandata ad eum perferri, de quibus agendi omne tempus satis maturum *futurum esset*; hinc celeritatem itineris esse profectam. Quod autem Ciacconius pro *antequam de mandatis agi inciperet* legendum censuit *quam de mandatis agi*, Cæsaris sententiam sine dubio perspexit; neque tamen in verbis quidquam mutandum est, quum nihil prohibere videatur, quominus Cæsar hanc sententiæ partem ei, quæ proxime antecessit, iunxisse putetur, quum debuisset proprie eam illi adiungere, quæ longius aberat.

Quod autem dixi, ea, quæ sequuntur, corrupta esse, hoc ita est. In omnibus editionibus legitur *atque ideo*, nisi quod ed. Ven. 1511 habet *atque ideoque*; sed omnes codd. (etiam Havn. A.) *atque eidem*; verum esse *atque ideo* non contendam equidem, sed longe præstare Oudendorpii coniectu-

ris *inde* vel *indidem* et Mori *idem*. Tum scribendum est ex Havn. A., Leid. prim., Lovan. *continuato nocte ac die itinere* 3); sed quid deinde scribendum sit, admodum dubium est. In omnibus codd. et edd. prim. legitur *atque* (vel *ac* 4)) *omnibus copiis mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contendit, ut* 5) *adesse Cæsarem nunciaret.* Ferri non posse *omnibus copiis* facile apparebat, unde factum est, ut edd. Aldinæ et post eas omnes hæc verba infra collocarent: *adesse Cæsarem omnibus copiis nunciaret.* Sed ne hoc quidem loco ferri possunt: primum enim falsum est, Cæsarem cum omnibus copiis adesse, deinde magnopere dubito, num Latine dici possit *adesse omnibus copiis* 6). Ouden-

---

3) Edd. omnes *et nocte et die;* sed prius *et* a plerisque codd. abesse testatur Oud.; Leid. sec. et Dorv. *atque die.* — B. C. 3, 36, 8 *die ac nocte;* Liv. 27, 4, 12 *diem ac noctem.*

4) *atque* est in Havn. A., Cuiac., Petav., edd. prim. — *ac* Pal., Bong. tert.

5) *et* habent Leid. prim. et Havn. A.; sed *et* atque *ut* sæpe confunduntur a librariis; sic 1, 24, 5 pro *et communis salutis* Leid. prim., Havn. A., Lovan. habent *ut com. sal.*

6) Scio equidem et Cæsarem et alios scriptores nudum ablativum iunxisse verbis *proficiscendi, transeundi, progrediendi, veniendi, sequendi,* similibus (vid. Drakenb. ad Liv. 1, 14, 7; 22, 9, 5; Intt. ad Sall. Catil. 57, 4; Perizon. ad Sanct. Min. IV, 6 p. 689 ed. Amstel. 1714; Oud. ad Cæs. B. G. 2, 7, 3; Herzog ad B. G. 1, 53 p. 103; 2, 7 pag. 116; Held ad B. C. 1, 41 pag. 56 ed. sec.; Zumpt Lat. Gramm. c. 74, 11 not. 2 § 473 pag. 389); sed nullum exemplum vidi, ubi eiusmodi ablativus iungatur verbis, quæ quietem significant (nam etiam Liv. 3, 23, 1 *reliquo exercitu haud procul moenibus Tusculi considunt* de motu explicari potest). Heldius quidem (l. c.), qui hunc ablativum optime tractavit, *adesse copiis* ita explicandum censet, quasi esset *advenisse,* quod, si locus alioquin pro sano habendus esset, fortasse ferrem, nunc autem hanc loquendi formulam non iudico Latinam esse.

dorpius se fere cum Grutero credere significat, e margine in textum irrepsisse *ut adesse C. omn. cop. nunciaret*; iam enim dixisse auctorem *de repentino adventu cet.* Idem Oberlino placuit. Heldio et Dæhnio sufficere videtur, si verba *omnibus copiis* eiiciantur; sed ita corruptos locos sanare, ut, quæ non intelligimus, eiiciamus, mihi non magnopere placet, quum præsertim nulla caussa cogitari possit, cur hæc in margine posita fuisse iudicentur. Hoc igitur certum videtur, eo loco, quo hæc verba in codicibus leguntur, aliquid a Cæsare scriptum fuisse, quod librarii corruperunt; et loco diligentius inspecto, desiderari apparebit commemorationem locorum, ubi equos Vibullius mutaverit. Hoc vidit Lipsius, qui legendum coniecit *omnibus oppidis* 7); quam equidem coniecturam non omnino reiiciendam esse censeo, licet hic rarius aliquod vocabulum scriptum fuisse suspicer, quod non intellectum mutaverint librarii.

Quidquid autem hoc loco scriptum fuit, fere certum est, Vibullium profectum esse *via Egnatia*, quam ex Polybio (vid. Polybii Fragm. lib. 34, 12, 3 sqq. Schweigh.) descripsit Strabo (VII p. 322 sq) 8), quæque Apollonia et Dyrrhachio Clodiana 9), inde per

7) Hæc coniectura ei tribuitur in margine Fabriciani, et in Epist. ad Italos et Hispanos ep. 59 (pag. 604 ed. Vesal.) hunc locum sine ulla annotatione ita scriptum profert.

8) Eamdem viam indicat Cicero de Prov. Consul. 2, 4; 12, 31; in Pison. 17, 40; cfr. Tabul. Peutinger. Segm. VI C., Segm. VII A. ed. Mannert.

9) Antonini Itinerar. p. 317 sq. et 329 ed. Wessel.

Lychnidum et Pylonem in Candaviam ducebat, ubi eo tempore Pompeius erat (cap. 11, 2).

III, 13, 1. *At Pompeius, cognitis iis rebus, quæ erant Orici atque Apolloniæ gestæ, Dyrrhachio timens, diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simul ac Cæsar adpropinquare dicebatur, tantus terror incidit eius exercitui, quod properans noctem diei coniunxerat, neque iter intermiserat, ut pæne omnes cet.*

Sic edd. prim., Ald., Scal., Oud. (nisi quod edd. prim. cum Havn. A. habent *his rebus*); sed hiulcam hanc orationem esse iam alii viderunt. Quid Hotomanus, Gruterus, Oudendorpius censuerint, in huius editione videri possunt. Oberlinus ex edd. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad.[1] recepit: *At Pomp. — contendit. Quo simul ac Cæsar cet.* Heldius autem locum ita restituere conatus est: *At Pomp. — contendit; simul et*[2] *Cæsar adprop.*

---

1) Quod enim ait Oberlinus, *quo* in quibusdam codd. esse, erravit.

2) Sic Leid. sec., Dorv., Palat., Bong., sed *ac* est in Havn. A. et in ceteris codd. optimis, ut videtur. — Cur autem Held hoc *et* per *etiam* explicet, nescio, quum *et* — *que* iungere liceat; vid. Cic. Brut. 88, 302; Rosc. Amer. 17, 48; Academ. 1, 10, 37; 1, 12, 43; Finib. 4, 8, 19; Tuscul. 3, 3, 5; Brut. in Cic. Ep. Fam. XI, 13 extr., ubi vid. Ernest.; Drakenb. ad Liv. 29, 12, 5 (exemplis ab eo collectis adde Liv. 2, 4, 5; 31, 29, 13); Bach. ad Tibull. 1, 1, 40; cfr. infra ad 3, 26, 3. — Eodem modo iunguntur *que* — *et* B. C. 3, 109, 6; Sall. Jug. 26, 1 *(seque et oppidum)*; 89, 7 *(ibique et in omni Africa)*; 104, 1 *(illosque et Sullam)*; 114, 2 *(illique et inde ad nostram memoriam Romani)*; Drak. ad Liv. 10, 30, 2. — Item *et* — *ac* Cic. Acad. 2, 7, 19; *et* — *atque* Diomed. Gram. II. pag. 463 ed. Putsch.

dic., *tantusque* 3) *terror cet.* Hanc scripturam Dæhne probavit et Kreyssig recepit; hic tamen ita, ut post

---

(huius periodi compositione decoratur, adeo ut, si quid commutare volueris, pereat omnium rerum atque verborum et dignitas atque potestas). — *Neque* — *et* iungi notum est (cfr. supra pag. 73); rarius *et* — *neque*, vid. Cic. Catil. 3, 8, 20; Flacc. 20, 46; Philipp. 13, 6, 13 (quem locum Ramshornio debeo §. 179 pag. 528); unde fortasse defendi potest locus de Orat. 2, 70, 281. De *neque* — *que* vid. Matth. ad Cic. Catil. 2, 13, 28; Cæs. B. C. 3, 74, 3; *nec* — *que* B. C. I, 70, 5; cfr. B. G. 5, 2, 5; 7, 76, 2. — Cur autem Hermannus (ad Eurip. Bacch. 303) apud Latinos *et* — *que* in partitione dici neget, equidem nescio; neque magis intelligo, cur in Græca lingua non liceat iungere particulas *καί* — *τέ*, licet hanc rem ad liquidum perducere nunc non possim. Vide interim Herm. l. c., ad Viger. p. 835, ad Soph. Antig. 334, Oed. Tyr. 688, Oed. Colon. 1396 et ad eumd. loc. (v. 1388) Doederl., et cfr. Æsch. Sept. Theb. 562 Well. et ad eum locum (v. 577) Blomf. Ceterum tria orationis membra ita sæpe apud Cæsarem iunguntur, ut secundo loco *et*, tertio *que* ponatur (B. G. 1, 11, 1; 2, 8, 3 et 4; 3, 8, 3 et 4; 3, 11, 5; 3, 24, 2; 4, 21, 7; 5, 56, 4; 5, 58, 6; 7, 24, 2; 7, 45, 5; 7, 47, 3; 7, 48, 3; 7, 56, 2; B. C. 1, 14, 4; 1, 18, 4; 1, 20, 5; 1, 28, 4; 2, 22, 4; 3, 2, 1; 3, 10, 5; 3, 11, 4; 3, 31, 2; 3, 36, 3; 3, 39, 2; 3, 42, 5; 3, 44, 2; 3, 60, 3; 3, 73, 1; 3, 74, 2; 3, 93, 3; 3, 98, 2; 3, 101, 6; 3, 102, 1; 3, 110, 2), aut secundo loco *et*, tertio *ac* (B. G. 3, 6, 2; B. C. 3, 102, 7; 3, 106, 2), aut secundo loco *et*, tertio *atque* (B. G. 5, 12, 2; B. C. 3, 98, 3), aut secundo loco *ac*, tertio *que* (B. G. 3, 5, 3; 4, 2, 3; B. C. 3, 69, 3), aut secundo loco *ac*, tertio *et* (B. C. 2, 35, 2), aut secundo loco *ac*, tertio *atque* (B. C. 1, 64, 1), aut secundo loco *atque*, tertio *que* (B. G. 5, 37, 3; 6, 3, 2; 6, 29, 4; 7, 36, 2 et 3; 7, 40, 4; B. C. 1, 31, 2; 1, 69, 4; 3, 12, 1; 3, 51, 8; 3, 100, 2), aut secundo loco *atque*, tertio *et* (B. G. 4, 37, 3; 7, 58, 4; B. C. 1, 14, 4; 3, 72, 2; 3, 106, 4), aut secundo loco *que*, tertio *et* (B. G. 2, 22, 1; 2, 28, 2 et 3; 3, 1, 4; 3, 28, 4; 4, 3, 3; 4, 34, 5; 6, 27, 1; 7, 2, 1 et 2; 7, 35, 4; 7, 41, 4; B. C. 1, 20, 5; 1, 23, 2; 1, 45, 1; 1, 53, 1; 1, 76, 4; 1, 80, 3; 2, 23, 2; 2, 26, 2; 2, 41, 6; 3, 2, 3; 3, 9, 7; 3, 29, 2; 3, 40, 2; 3, 41, 1; 3, 42, 4; 3, 46, 5; 3, 59, 3 et 4; 3, 66, 4; 3, 71, 2; 3, 80, 3; 3, 84, 1; 3, 94, 5 et 6), aut secundo loco *que*, tertio

contendit maximam distinctionem poneret. Sed ne sic quidem locus sanatus videri debet; nam verba *eius exercitui* non possunt non Pompeii milites indicare; itaque verba *quod properans noctem diei coniunxerat cet.* ad Pompeium referenda sunt, unde tautologia non ferenda oriatur, quum supra dictum sit: *diurnis eo nocturnisque itineribus contendit.* Apparet igitur, verba *prop. noct. diei coniunx. cet.* ad Cæsarem referenda esse, quod etiam Heldii Censor in Act. Litter. Lips. 1824 n. 118 pag. 940 et Dæhne viderunt 4); hoc autem, ut nunc cetera verba leguntur, fieri nequit. Quid multa? Totus locus codicum auctoritate ita restituendus est: *At Pomp.* — *contendit, simulac Cæsar adpropinquare dicebatur* 5);

---

ac (B. G. 5, 18, 5; 5, 56, 5), aut secundo loco *que*, tertio *atque* (B. G. 5, 26, 3; 6, 23, 7; B. C. 1, 20, 1; 2, 20, 4; 3, 19, 4; 3, 30, 7; 3, 37, 6; 3, 42, 1; 3, 92, 2), aut et secundo et tertio loco *que* (B. G. 4, 21, 8; 5, 25, 4; 5, 43, 4; 7, 3, 1; 7, 16, 3; 7, 45, 2; 7, 68, 1; B. C. 1, 17, 3; 1, 18, 5; 1, 22, 3; 1, 73, 3; 1, 74, 7; 2, 9, 3; 3, 58, 5; 3, 76, 1; 3, 110, 3; 3, 111, 6). Cum his cfr. Drakenb. ad Liv. 2, 31, 1; 5, 17, 9; Madvig Emendatt. in Cicer. pag. 40. Quibus autem rationibus quattuor et plura membra iungantur, alibi fortasse docebo.

3) *tantusque:* sic Havn. A., Petav., Voss., Leid. sec., Dorv., Reg.

4) Hoc verum esse satis ostendit Appiani narratio (B. C. 2, 55), ubi de Cæsare dicitur: *ἦγε συντόμως ἐπὶ τὸ Δυῤῥάχιον αὐτοὺς ὁδὸν μακρὰν, οὔτε ἡμέρας οὔτε νυκτὸς ἀναπαύων.* Et paullo post de utroque exercitu: *ἐφιλονείκουν ὡς ἐν ἀγῶνι δρόμου.*

5) Hanc distinctionem iam Ursinus ex suo antiquo libro et Clarke probaverunt; quod autem Hotom. ait, ita scribendum fuisse *dictus est*, fateor equidem *simul ac* plerumque perfecto tempori iungi; sed hoc non prohibere videtur, quominus etiam imperfecto iungi possit, si, ut nostro loco, de re sermo est, quæ sæpius et a pluribus facta est. Ostendit hoc Ciceronis locus Verr. 4, 21, 47: *qui simul atque in oppidum*

tantusque terror incidit eius exercitus[6], *quod properans cet.*

Paullo infra §. 5 hæc leguntur: *Castraque ad flumen Apsum ponit in finibus Apolloniatium, ut castellis vigiliisque bene meritæ civitates tutæ essent præsidio; ibique reliquarum cet.* Varietates codicum et editionum, quum per se non magni momenti sint, nunc non afferam, neque varios VV. DD. in hoc loco restituendo conatus; corruptum enim locum esse, recte viderunt omnes. Ut mihi videtur, corruptionis vestigia solus Havn. A. servavit, si iis habenda fides est, qui reliquos codices contulerunt: hic enim non *præsidio ibique* sed *præsidioque ibi* habet; unde patet excidisse aliquid. Veri simile est Cæsarem scripsisse: *castraque — tutæ essent; præsidioque ibi relicto*[7] *reliquarum ex Italia leg. cet.;* quam facile *relicto* ante *reliquarum* excidere potuerit, non opus est multis explicare: *ibi* autem intelligo *Apolloniæ* (ex superioribus *in*

---

quodpiam venerat, immittebantur illi cet. — Eodem autem modo enunciationis pars adiungitur c. 14, 1.

6) Sic Petav., Havn. A., Leid. prim., Lovan.; *terror eius* (Cæsaris) *exercitus incidit* dictum est ut 3, 44, 6 *magnusque incesserat timor sagittarum.* Posse autem absolute dici *incidere* ostendunt B. G. 2, 14, 6; 6, 15, 1 aliaque exempla, quæ Oud. collegit, cui hæc scriptura non displicebat, quam etiam Held fortasse veram esse censet. *Terroris* autem vocabulum ita usurpari ostendit locus B. G. 4, 33, 1: *ipso terrore equorum — ordines plerumque perturbant:* cfr. Cic. Deiotar. 1, 2 *(qui — adolescentiæ suæ terrorem intulerit ei cet.)*, ad Attic. 7, 8, 4 (in Antonii concione erat — *terror armorum*); Leg. Manil. 6, 15; 11, 30. Ceterum in nostro loco Havn. A. pro *eius* habet *ei*, facili, ut videtur, errore.

7) B. G. 6, 7, 4: *præsidio cohortium quinque inpedimentis relicto;* 4, 18, 2 et 6, 9, 5: *firmo præsidio relicto.*

finibus Apolloniatium), ne scilicet post tergum Cæsaris Pompeiani, navibus castra prætervecti, hanc illi urbem eriperent.

III, 16, 4. *Pompeii summam esse ac fuisse semper voluntatem, ut componerentur atque ab armis discederetur: sed potestatem eius rei se nullam habere cet.*

Hoc Cæsarem scripsisse persuadere mihi nequeo; primum enim credi vix potest, Libonem tam stultum fuisse, ut eiusmodi mendacio Cæsarem capi potuisse crederet, si *Pompeio summam pacis voluntatem et esse et semper fuisse* narraret, deinde, quod maius est, nulla est membrorum oppositio: *Pompeio pacis voluntatem esse, sed sibi non esse eius faciendæ potestatem.* Accedit codicum auctoritas: *potest. eius rei se null.* edidit Oudend. ex pessimis codd. Bong. tert. et Palat. (quibus fortasse alii accedunt), ed. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad. Cod. Lovan. habet *potest. eius rei nullam se*; edd. prim., Ald., Manut., Scal. sqq. *pot. se eius rei nullam;* optimi codd. Havn. A., Petav., Leid. prim., Voss. omittunt *se.* Hinc satis apparet, *se* intrusum esse, et prius membrum ita a Cæsare scriptum fuisse, ut non desideraretur. Quid ergo? Dubitari vix posse videtur *Pompeii* nomen additum fuisse, quum vocabulum, quod ante *summam* a Cæsare scriptum fuerat, excidisset. Tale quid etiam Lipsium sensisse puto, cuius in Fabriciano legitur coniectura *suam* pro *summam*; sed voluit sine dubio *suam summam esse cet.*, quod etiam ipse conieceram. Si cui

tamen plura verba excidisse videantur, equidem non repugnem. — Ceterum *componerentur* legitur in omnibus fere codd. (etiam Havn. A.), edd. prim., Ald., Gryph. 1543, 1551, Ursin., Lips., Oud., plerisque recentt.; quod ut ferri posse fatear, tamen præferendum censeo cum Moro, Matthiæ (ad Cic. Rosc. Am. 47, 136), Held, Dæhne, Kreyssig *componeretur*, quod legitur in edd. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Manut., Scalig. sqq.

Sequuntur hæc: *propterea quod de concilii sententia summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint.* Ex cod. Norvic. et fortasse aliis 1), edd. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad., Clarkii Oudendorpius recepit *concilii*; sed Havn. A. cum plerisque, ut videtur, codd., edd. prim., Ald., Manut., Lips., Scal. sqq. habent *consilii*. Sed *de consilii sententia aliquid facere* is tantummodo dici posse videtur, qui consilii primum locum tenet atque igitur id, quod consilio placuit, efficiendum curat 2), quod quomodo hic dici possit, equidem non intelligo. Deinde quodnam est hoc sive *consilium* sive *concilium*? Dion. Vossius ait: "*Concilium*

---

1) Ait Oudend. hoc esse in MSS. a Grutero consultis, si fides excerptis sit; in Fabriciano nihil legitur, et edit. Gryph. 1538, qua Gruterus usus est, non habeo. Si autem, quod veri simile est, eius repetitiones sunt edd. Gryph. a. 1543 et 1551, videtur habere *concilii*, quod in illis legitur.

2) Cic. Verr. 5, 21, 54: *de consilii sententia* (facit aliquid Verres); leg. Agrar. 2, 19, 51: *Karthaginem P. Africanus de consilii sententia consecravit;* ad Att. 4, 2, 2 p. 179 Sch.: *consules de consilii sententia æstimarunt;* Att. 16, 16, c. p. 335: *consules de consilii sententia decreverunt;* Liv. 45, 26, 12: *pronunciavit de sententia consilii* (L. Anicius); Corn. Nep. Phoc. 3, 4 *ex consilii sententia in custodiam coniectus.*

hic Cæsar quasi per contemtum vocat Senatum Romanum"; sed non considerasse videtur, h. l. non ipsum Cæsarem loqui, sed Libonem, qui utique senatus partem Pompeianam "turbidam et factiosam nuncupare" non poterat. Probavit tamen Vossii sententiam Dæhne. Morus autem *consilium* præfert; "nam Senatus deliberans et decernens intelligitur, et hic *consilium* dicitur." Flade (ap. Dæhn.) *consilium* probat, ut intelligantur *legati*, *tribuni*; sed de his nunc cogitare ineptum est. Heldius denique, qui in priore edit. Vossii sententiam amplexus esse videbatur, in posteriore recte intellexit, eam ferri non posse; sed ex observatione eius apparet, ei de hoc loco nihil constare. Cæsar scripsisse videtur: *propterea quod de Consulum sententia summam*[3] *belli cet.* *Consules* autem intelliguntur C. Claudius Marcellus et L. Cornelius Lentulus (coss. a. 705), qui initio statim belli civilis Pompeio, qui cum exercitu ad urbem erat, gladio porrecto summam belli tradiderant (vid. Appian. B. C. 2, 31; Plutarch. Pomp. 59; Dio C. 40, 64; Vell. Pat. 2, 49). Accedat his Lucani testimonium, qui Lentulum, senatum in Epiro habentem, inter alia hæc dicentem facit (V, 45 sqq.):

Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium Patres, Magnumque iubete
Esse ducem. — Læto nomen clamore Senatus
Excipit et Magno fatum patriæque suumque
Imposuit.

---

3) Havn. A., Palat. aliique codd. quattuor habent *summa*, vulgari errore, quem etiam Oberlini typographus commisit.

Hæc de Vibullio; sed deinde restituere non dubito librorum scripturam *Corcyræ*, quam Dæhne recte intellexit: "Vibullius primum hæc Bibulo Corcyræ exposuit, tum contendit ad Pompeium, quem de adventu Cæsaris faceret certiorem." Neque enim mirum est, Vibullium hæc mandata Bibulo, qui cum CX navibus Corcyræ erat (v. c. 7, 1 alibi), exposuisse, quippe qui inter Pompeianos fere princeps esset, cognitoque apud eum Pompeii et Pompeianorum in Cæsarem animo, non tanto opere maturandum sibi existimavisse, ut mandata Cæsaris, quippe nihil effectura, ad Pompeium deferret; sed postquam ipse cum Bibulo Corcyræ (c. 8, 3) de Cæsaris adventu certior factus esset, *non minus* (quin fortasse multo magis) *necessarium iudicasse*, hunc Pompeio nuntiari, quam mandata ad eum perferri, de quibus agendi omne tempus satis maturum futurum esset; hinc celeritatem itineris esse profectam. Quod autem Ciacconius pro *antequam de mandatis agi inciperet* legendum censuit *quam de mandatis agi*, Cæsaris sententiam sine dubio perspexit; neque tamen in verbis quidquam mutandum est, quum nihil prohibere videatur, quominus Cæsar hanc sententiæ partem ei, quæ proxime antecessit, iunxisse putetur, quum debuisset proprie eam illi adiungere, quæ longius aberat.

Quod autem dixi, ea, quæ sequuntur, corrupta esse, hoc ita est. In omnibus editionibus legitur *atque ideo*, nisi quod ed. Ven. 1511 habet *atque ideoque*; sed omnes codd. (etiam Havn. A.) *atque eidem*; verum esse *atque ideo* non contendam equidem, sed longe præstare Oudendorpii coniectu-

ris *inde* vel *indidem* et Mori *idem*. Tum scribendum est ex Havn. A., Leid. prim., Lovan. *continuato nocte ac die itinere* 3); sed quid deinde scribendum sit, admodum dubium est. In omnibus codd. et edd. prim. legitur *atque* (vel *ac* 4)) *omnibus copiis mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contendit, ut* 5) *adesse Cæsarem nunciaret*. Ferri non posse *omnibus copiis* facile apparebat, unde factum est, ut edd. Aldinæ et post eas omnes hæc verba infra collocarent: *adesse Cæsarem omnibus copiis nunciaret*. Sed ne hoc quidem loco ferri possunt: primum enim falsum est, Cæsarem cum omnibus copiis adesse, deinde magnopere dubito, num Latine dici possit *adesse omnibus copiis* 6). Ouden-

---

3) Edd. omnes *et nocte et die;* sed prius *et* a plerisque codd. abesse testatur Oud.; Leid. sec. et Dorv. *atque die*. — B. C. 3, 36, 8 *die ac nocte;* Liv. 27, 4, 12 *diem ac noctem*.

4) *atque* est in Havn. A., Cuiac., Petav., edd. prim. — *ac* Pal.; Bong. tert.

5) *et* habent Leid. prim. et Havn. A.; sed *et* atque *ut* sæpe confunduntur a librariis; sic 1, 24, 5 pro *et communis salutis* Leid. prim., Havn. A., Lovan. habent *ut com. sal.*

6) Scio equidem et Cæsarem et alios scriptores nudum ablativum iunxisse verbis *proficiscendi*, *transeundi*, *progrediendi*, *veniendi*, *sequendi*, similibus (vid. Drakenb. ad Liv. 1, 14, 7; 22, 9, 5; Intt. ad Sall. Catil. 57, 4; Perizon. ad Sanct. Min. IV, 6 p. 689 ed. Amstel. 1714; Oud. ad Cæs. B. G. 2, 7, 3; Herzog ad B. G. 1, 53 p. 103; 2, 7 pag. 116; Held ad B. C. 1, 41 pag. 56 ed. sec.; Zumpt Lat. Gramm. c. 74, 11 not. 2 § 473 pag. 389); sed nullum exemplum vidi, ubi eiusmodi ablativus iungatur verbis, quæ quietem significant (nam etiam Liv. 3, 23, 1 *reliquo exercitu haud procul moenibus Tusculi considunt* de motu explicari potest). Heldius quidem (l. c.), qui hunc ablativum optime tractavit, *adesse copiis* ita explicandum censet, quasi esset *advenisse*, quod, si locus alioquin pro sano habendus esset, fortasse ferrem, nunc autem hanc loquendi formulam non iudico Latinam esse.

dorpius se fere cum Grutero credere significat, e margine in textum irrepsisse *ut adesse C. omn. cop. nunciaret*; iam enim dixisse auctorem *de repentino adventu cet.* Idem Oberlino placuit. Heldio et Dæhnio sufficere videtur, si verba *omnibus copiis* eiiciantur; sed ita corruptos locos sanare, ut, quæ non intelligimus, eiiciamus, mihi non magnopere placet, quum præsertim nulla caussa cogitari possit, cur hæc in margine posita fuisse iudicentur. Hoc igitur certum videtur, eo loco, quo hæc verba in codicibus leguntur, aliquid a Cæsare scriptum fuisse, quod librarii corruperunt; et loco diligentius inspecto, desiderari apparebit commemorationem locorum, ubi equos Vibullius mutaverit. Hoc vidit Lipsius, qui legendum coniecit *omnibus oppidis* 7); quam equidem coniecturam non omnino reiiciendam esse censeo, licet hic rarius aliquod vocabulum scriptum fuisse suspicer, quod non intellectum mutaverint librarii.

Quidquid autem hoc loco scriptum fuit, fere certum est, Vibullium profectum esse *via Egnatia*, quam ex Polybio (vid. Polybii Fragm. lib. 34, 12, 3 sqq. Schweigh.) descripsit Strabo (VII p. 322 sq) 8), quæque Apollonia et Dyrrhachio Clodiana 9), inde per

---

7) Hæc coniectura ei tribuitur in margine Fabriciani, et in Epist. ad Italos et Hispanos ep. 59 (pag. 604 ed. Vesal.) hunc locum sine ulla annotatione ita scriptum profert.

8) Eamdem viam indicat Cicero de Prov. Consul. 2, 4; 12, 31; in Pison. 17, 40; cfr. Tabul. Peutinger. Segm. VI C., Segm. VII A. ed. Mannert.

9) Antonini Itinerar. p. 317 sq. et 329 ed. Wessel.

Lychnidum et Pylonem in Candaviam ducebat, ubi eo tempore Pompeius erat (cap. 11, 2).

III, 13, 1. *At Pompeius, cognitis iis rebus, quæ erant Orici atque Apolloniæ gestæ, Dyrrhachio timens, diurnis eo nocturnisque itineribus contendit. Simul ac Cæsar adpropinquare dicebatur, tantus terror incidit eius exercitui, quod properans noctem diei coniunxerat, neque iter intermiserat, ut pæne omnes cet.*

Sic edd. prim., Ald., Scal., Oud. (nisi quod edd. prim. cum Havn. A. habent *his rebus*); sed hiulcam hanc orationem esse iam alii viderunt. Quid Hotomanus, Gruterus, Oudendorpius censuerint, in huius editione videri possunt. Oberlinus ex edd. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad.[1] recepit: *At Pomp. — contendit. Quo simul ac Cæsar cet.* Heldius autem locum ita restituere conatus est: *At Pomp. — contendit; simul et*[2] *Cæsar adprop.*

---

1) Quod enim ait Oberlinus, *quo* in quibusdam codd. esse, erravit.

2) Sic Leid. sec., Dorv., Palat., Bong., sed *ac* est in Havn. A. et in ceteris codd. optimis, ut videtur. — Cur autem Held hoc *et* per *etiam* explicet, nescio, quum *et* — *que* iungere liceat; vid. Cic. Brut. 88, 302; Rosc. Amer. 17, 48; Academ. 1, 10, 37; 1, 12, 43; Finib. 4, 8, 19; Tuscul. 3, 3, 5; Brut. in Cic. Ep. Fam. XI, 13 extr., ubi vid. Ernest.; Drakenb. ad Liv. 29, 12, 5 (exemplis ab eo collectis adde Liv. 2, 4, 5; 31, 29, 13); Bach. ad Tibull. 1, 1, 40; cfr. infra ad 3, 26, 3. — Eodem modo iunguntur *que* — *et* B. C. 3, 109, 6; Sall. Jug. 26, 1 *(seque et oppidum)*; 89, 7 *(ibique et in omni Africa)*; 104, 1 *(illosque et Sullam)*; 114, 2 *(illique et inde ad nostram memoriam Romani)*; Drak. ad Liv. 10, 30, 2. — Item *et* — *ac* Cic. Acad. 2, 7, 19; *et* — *atque* Diomed. Gram. II. pag. 403 ed. Putsch.

dic., *tantusque* 3) *terror cet.* Hanc scripturam Dæhne probavit et Kreyssig recepit; hic tamen ita, ut post

---

(huius periodi compositione decoratur, adeo ut, si quid commutare volueris, pereat omnium rerum atque verborum et dignitas atque potestas). — *Neque* — *et* iungi notum est (cfr. supra pag. 73); rarius *et* — *neque*, vid. Cic. Catil. 3, 8, 20; Flacc. 20, 46; Philipp. 13, 6, 13 (quem locum Ramshornio debeo §. 179 pag. 528); unde fortasse defendi potest locus de Orat. 2, 70, 281. De *neque* — *que* vid. Matth. ad Cic. Catil. 2, 13, 28; Cæs. B. C. 3, 74, 3; *nec* — *que* B. C. I, 70, 5; cfr. B. G. 5, 2, 5; 7, 76, 2. — Cur autem Hermannus (ad Eurip. Bacch. 303) apud Latinos *et* — *que* in partitione dici neget, equidem nescio; neque magis intelligo, cur in Græca lingua non liceat iungere particulas καί — τέ, licet hanc rem ad liquidum perducere nunc non possim. Vide interim Herm. l. c., ad Viger. p. 835, ad Soph. Antig. 334, Oed. Tyr. 688, Oed. Colon. 1396 et ad eumd. loc. (v. 1388) Doederl., et cfr. Æsch. Sept. Theb. 562 Well. et ad eum locum (v. 577) Blomf. Ceterum tria orationis membra ita sæpe apud Cæsarem iunguntur, ut secundo loco *et*, tertio *que* ponatur (B. G. 1, 11, 1; 2, 8, 3 et 4; 3, 8, 3 et 4; 3, 11, 5; 3, 24, 2; 4, 21, 7; 5, 56, 4; 5, 58, 6; 7, 24, 2; 7, 45, 5; 7, 47, 3; 7, 48, 3; 7, 56, 2; B. C. 1, 14, 4; 1, 18, 4; 1, 20, 5; 1, 28, 4; 2, 22, 4; 3, 2, 1; 3, 10, 5; 3, 11, 4; 3, 31, 2; 3, 36, 3; 3, 39, 2; 3, 42, 5; 3, 44, 2; 3, 60, 3; 3, 73, 1; 3, 74, 2; 3, 93, 3; 3, 98, 2; 3, 101, 6; 3, 102, 1; 3, 110, 2), aut secundo loco *et*, tertio *ac* (B. G. 3, 6, 2; B. C. 3, 102, 7; 3, 106, 2), aut secundo loco *et*, tertio *atque* (B. G. 5, 12, 2; B. C. 3, 98, 3), aut secundo loco *ac*, tertio *que* (B. G. 3, 5, 3; 4, 2, 3; B. C. 3, 69, 3), aut secundo loco *ac*, tertio *et* (B. C. 2, 35, 2), aut secundo loco *ac*, tertio *atque* (B. C. 1, 64, 1), aut secundo loco *atque*, tertio *que* (B. G. 5, 37, 3; 6, 3, 2; 6, 29, 4; 7, 36, 2 et 3; 7, 40, 4; B. C. 1, 31, 2; 1, 69, 4; 3, 12, 1; 3, 51, 8; 3, 100, 2), aut secundo loco *atque*, tertio *et* (B. G. 4, 37, 3; 7, 58, 4; B. C. 1, 14, 4; 3, 72, 2; 3, 106, 4), aut secundo loco *que*, tertio *et* (B. G. 2, 22, 1; 2, 28, 2 et 3; 3, 1, 4; 3, 28, 4; 4, 3, 3; 4, 34, 5; 6, 27, 1; 7, 2, 1 et 2; 7, 35, 4; 7, 41, 4; B. C. 1, 20, 5; 1, 23, 2; 1, 45, 1; 1, 53, 1; 1, 76, 4; 1, 80, 3; 2, 23, 2; 2, 26, 2; 2, 41, 6; 3, 2, 3; 3, 9, 7; 3, 29, 2; 3, 40, 2; 3, 41, 1; 3, 42, 4; 3, 46, 5; 3, 59, 3 et 4; 3, 66, 4; 3, 71, 2; 3, 80, 3; 3, 84, 1; 3, 94, 5 et 6), aut secundo loco *que*, tertio

contendit maximam distinctionem poneret. Sed ne sic quidem locus sanatus videri debet; nam verba *eius exercitui* non possunt non Pompeii milites indicare; itaque verba *quod properans noctem diei coniunxerat cet.* ad Pompeium referenda sunt, unde tautologia non ferenda oriatur, quum supra dictum sit: *diurnis eo nocturnisque itineribus contendit.* Apparet igitur, verba *prop. noct. diei coniunx. cet.* ad Cæsarem referenda esse, quod etiam Heldii Censor in Act. Litter. Lips. 1824 n. 118 pag. 940 et Dæhne viderunt 4); hoc autem, ut nunc cetera verba leguntur, fieri nequit. Quid multa? Totus locus codicum auctoritate ita restituendus est: *At Pomp.* — *contendit, simulac Cæsar adpropinquare dicebatur* 5);

---

ac (B. G. 5, 18, 5; 5, 56, 5), aut secundo loco *que*, tertio *atque* (B. G. 5, 26, 3; 6, 23, 7; B. C. 1, 20, 1; 2, 20, 4; 3, 19, 4; 3, 30, 7; 3, 37, 6; 3, 42, 1; 3, 92, 2), aut et secundo et tertio loco *que* (B. G. 4, 21, 8; 5, 25, 4; 5, 43, 4; 7, 3, 1; 7, 16, 3; 7, 45, 2; 7, 68, 1; B. C. 1, 17, 3; 1, 18, 5; 1, 22, 3; 1, 73, 3; 1, 74, 7; 2, 9, 3; 3, 58, 5; 3, 76, 1; 3, 110, 3; 3, 111, 6). Cum his cfr. Drakenb. ad Liv. 2, 31, 1; 5, 17, 9; Madvig Emendatt. in Cicer. pag. 40. Quibus autem rationibus quattuor et plura membra iungantur, alibi fortasse docebo.

3) *tantusque:* sic Havn. A., Petav., Voss., Leid. sec., Dorv., Reg.

4) Hoc verum esse satis ostendit Appiani narratio (B. C. 2, 55), ubi de Cæsare dicitur: ἦγε συντόμως ἐπὶ τὸ Δυῤῥάχιον αὐτοὺς ὁδὸν μακρὰν, οὔτε ἡμέρας οὔτε νυκτὸς ἀναπαύων. Et paullo post de utroque exercitu: ἐφιλονείκουν ὡς ἐν ἀγῶνι δρόμου.

5) Hanc distinctionem iam Ursinus ex suo antiquo libro et Clarke probaverunt; quod autem Hotom. ait, ita scribendum fuisse *dictus est*, fateor equidem *simul ac* plerumque perfecto tempori iungi; sed hoc non prohibere videtur, quominus etiam imperfecto iungi possit, si, ut nostro loco, de re sermo est, quæ sæpius et a pluribus facta est. Ostendit hoc Ciceronis locus Verr. 4, 21, 47: *qui simul atque in oppidum*

tantusque terror incidit eius exercitus [6], *quod properans cet.*

Paullo infra §. 5 hæc leguntur: *Castraque ad flumen Apsum ponit in finibus Apolloniatium, ut castellis vigiliisque bene meritæ civitates tutæ essent præsidio; ibique reliquarum cet.* Varietates codicum et editionum, quum per se non magni momenti sint, nunc non afferam, neque varios VV. DD. in hoc loco restituendo conatus; corruptum enim locum esse, recte viderunt omnes. Ut mihi videtur, corruptionis vestigia solus Havn. A. servavit, si iis habenda fides est, qui reliquos codices contulerunt: hic enim non *præsidio ibique* sed *præsidioque ibi* habet; unde patet excidisse aliquid. Veri simile est Cæsarem scripsisse: *castraque — tutæ essent; præsidioque ibi relicto* [7] *reliquarum ex Italia leg. cet.;* quam facile *relicto* ante *reliquarum* excidere potuerit, non opus est multis explicare: *ibi* autem intelligo *Apolloniæ* (ex superioribus *in*

---

quodpiam venerat, immittebantur illi cet. — Eodem autem modo enunciationis pars adiungitur c. 14, 1.

6) Sic Petav., Havn. A., Leid. prim., Lovan.; *terror eius* (Cæsaris) *exercitus incidit* dictum est ut 3, 44, 6 *magnusque incesserat timor sagittarum.* Posse autem absolute dici *incidere* ostendunt B. G. 2, 14, 6; 6, 15, 1 aliaque exempla, quæ Oud. collegit, cui hæc scriptura non displicebat, quam etiam Held fortasse veram esse censet. *Terroris* autem vocabulum ita usurpari ostendit locus B. G. 4, 33, 1: *ipso terrore equorum — ordines plerumque perturbant:* cfr. Cic. Deiotar. 1, 2 *(qui — adolescentiæ suæ terrorem intulerit ei cet.)*, ad Attic. 7, 8, 4 (in Antonii concione erat — *terror armorum*); Leg. Manil. 6, 15; 11, 30. Ceterum in nostro loco Havn. A. pro *eius* habet *ei*, facili, ut videtur, errore.

7) B. G. 6, 7, 4: *præsidio cohortium quinque inpedimentis relicto;* 4, 18, 2 et 6, 9, 5: *firmo præsidio relicto.*

finibus Apolloniatium), ne scilicet post tergum Cæsaris Pompeiani, navibus castra prætervecti, hanc illi urbem eriperent.

III, 16, 4. *Pompeii summam esse ac fuisse semper voluntatem, ut componerentur atque ab armis disoederetur: sed potestatem eius rei se nullam habere cet.*

Hoc Cæsarem scripsisse persuadere mihi nequeo; primum enim credi vix potest, Libonem tam stultum fuisse, ut eiusmodi mendacio Cæsarem capi potuisse crederet, si *Pompeio summam pacis voluntatem et esse et semper fuisse* narraret, deinde, quod maius est, nulla est membrorum oppositio: *Pompeio pacis voluntatem esse, sed sibi non esse eius faciendæ potestatem.* Accedit codicum auctoritas: *potest. eius rei se null.* edidit Oudend. ex pessimis codd. Bong. tert. et Palat. (quibus fortasse alii accedunt), ed. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad. Cod. Lovan. habet *potest. eius rei nullam se*; edd. prim., Ald., Manut., Scal. sqq. *pot. se eius rei nullam*; optimi codd. Havn. A., Petav., Leid. prim., Voss. omittunt *se.* Hinc satis apparet, *se* intrusum esse, et prius membrum ita a Cæsare scriptum fuisse, ut non desideraretur. Quid ergo? Dubitari vix posse videtur *Pompeii* nomen additum fuisse, quum vocabulum, quod ante *summam* a Cæsare scriptum fuerat, excidisset. Tale quid etiam Lipsium sensisse puto, cuius in Fabriciano legitur coniectura *suam* pro *summam*; sed voluit sine dubio *suam summam esse cet.*, quod etiam ipse conieceram. Si cui

tamen plura verba excidisse videantur, equidem non repugnem. — Ceterum *componerentur* legitur in omnibus fere codd. (etiam Havn. A.), edd. prim., Ald., Gryph. 1543, 1551, Ursin., Lips., Oud., plerisque recentt.; quod ut ferri posse fatear, tamen præferendum censeo cum Moro, Matthiæ (ad Cic. Rosc. Am. 47, 136), Held, Dæhne, Kreyssig *componeretur*, quod legitur in edd. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Manut., Scalig. sqq.

Sequuntur hæc: *propterea quod de concilii sententia summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint.* Ex cod. Norvic. et fortasse aliis 1), edd. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad., Clarkii Oudendorpius recepit *concilii*; sed Havn. A. cum plerisque, ut videtur, codd., edd. prim., Ald., Manut., Lips., Scal. sqq. habent *consilii.* Sed *de consilii sententia aliquid facere* is tantummodo dici posse videtur, qui consilii primum locum tenet atque igitur id, quod consilio placuit, efficiendum curat 2), quod quomodo hic dici possit, equidem non intelligo. Deinde quodnam est hoc sive *consilium* sive *concilium*? Dion. Vossius ait: "*Concilium*

---

1) Ait Oudend. hoc esse in MSS, a Grutero consultis, si fides excerptis sit; in Fabriciano nihil legitur, et edit. Gryph. 1538, qua Gruterus usus est, non habeo. Si autem, quod veri simile est, eius repetitiones sunt edd. Gryph. a. 1543 et 1551, videtur habere *concilii*, quod in illis legitur.

2) Cic. Verr. 5, 21, 54: *de consilii sententia* (facit aliquid Verres); leg. Agrar. 2, 19, 51: *Karthaginem P. Africanus de consilii sententia consecravit;* ad Att. 4, 2, 2 p. 179 Sch.: *consules de consilii sententia æstimarunt;* Att. 16, 16, c. p. 335: *consules de consilii sententia decreverunt;* Liv. 45, 26, [illegible] *nunciavit de sententia consilii* (L. Anicius); Corn. [illegible] 4: *ex consilii sententia in custodiam coniectus.*

hic Cæsar quasi per contemtum vocat Senatum Romanum"; sed non considerasse videtur, h. l. non ipsum Cæsarem loqui, sed Libonem, qui utique senatus partem Pompeianam "turbidam et factiosam nuncupare" non poterat. Probavit tamen Vossii sententiam Dæhne. Morus autem *consilium* præfert; "nam Senatus deliberans et decernens intelligitur, et hic *consilium* dicitur." Flade (ap. Dæhn.) *consilium* probat, ut intelligantur *legati*, *tribuni*; sed de his nunc cogitare ineptum est. Heldius denique, qui in priore edit. Vossii sententiam amplexus esse videbatur, in posteriore recte intellexit, eam ferri non posse; sed ex observatione eius apparet, ei de hoc loco nihil constare. Cæsar scripsisse videtur: *propterea quod de Consulum sententia summam*[3] *belli cet.* *Consules* autem intelliguntur C. Claudius Marcellus et L. Cornelius Lentulus (coss. a. 705), qui initio statim belli civilis Pompeio, qui cum exercitu ad urbem erat, gladio porrecto summam belli tradiderant (vid. Appian. B. C. 2, 31; Plutarch. Pomp. 59; Dio C. 40, 64; Vell. Pat. 2, 49). Accedat his Lucani testimonium, qui Lentulum, senatum in Epiro habentem, inter alia hæc dicentem facit (V, 45 sqq.):

Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium Patres, Magnumque iubete
Esse ducem. — Læto nomen clamore Senatus
Excipit et Magno fatum patriæque suumque
Imposuit.

---

3) Havn. A., Palat. aliique codd. quattuor habent *summa*, vulgari errore, quem etiam Oberlini typographus commisit.

Erant quidem eo anno, quo hæc gesta sunt, Cæsar et P. Servilius Vatia Isauricus consules Romæ creati (Cæs. B. C. 3, 1; Appian. B. C. 2, 48; Plutarch. Cæs. 37; Dio Cass. 41, 43); sed qui in Epiro erant Pompeiani, neque eos neque ceteros magistratus eo anno Romæ creatos agnoscebant, sed prioris anni magistratus retinebant, qui iam pro Consulibus, pro Prætoribus, pro Quæstoribus esse dicebantur (Dio C. 41, 43).

III, 18, 3. *Vibullius, sedato tumultu, — ubi primum, rursus adhibito Libone et L. Lucceio et Theophane, — de mandatis Cæsaris agere instituit, eum ingressum in sermonem Pompeius interpellavit.*

Rursus, quod in plerisque codd. et edd. omnibus legi videtur, ferri non posse, iam Ciacconius vidit; nam neque verisimile est, iam antea Vibullium de Cæsaris mandatis cum Pompeio egisse, neque verum est, quod Clarke credidit, prius a Vibullio adhibitum fuisse Libonem 1), et multo minus L. Lucceius et Theophanes *rursus* adhibiti esse a Vibullio dici possunt. Deinde in omnibus edd. legitur *eum ingressum in serm.*, sed cod. Ursini 2), Havn. A., Petav., Leid. prim., Scal., Voss., Dorv., Lov., Palat., Brant. habent *quem*, quod, priore sententiæ parte corrupta, ab iis mutatum esse patet, qui sententiam plenam reddere vellent. Sequitur igitur,

---

1) Libonem cum Cæsare de induciis egisse narratur supra cap. 15-17; sed hoc nihil ad Vibullium.

2) Hoc Ursinus in Notis pag. 241 affert ex *suo v. c.*

ea, quæ præcedunt, non prodosin constituisse sed in se absoluta fuisse. Hoc vidit D. Vossius, qui ex Petav. legendum censuit *ibi primum cet.*; sed sic in *rursus* remanet difficultas, quam illi tollere voluisse videntur, qui codd. Lovan. et Brant. descripserunt, ex quibus affertur *reversus est*; sed quum non dicatur Vibullius a Pompeio abfuisse, postquam ad eum venisset, *reverti* non potuit; neque *reversus est* Cæsar dixisset, sed *revertit* 3). Jurinus coniecit *ubi primum licuit*; sed hoc a codd. scriptura longius discedit, quam ut verum esse possit. Mihi in mentem venit *ubi primum e re visum est*, quod, qui codices tractarunt, ad eorum vestigia proxime accedere concedent; si quis tamen meliorem emendationem proposuerit, pro mea non pugnabo.

III, 19, 3. *Responsum est ab altera parte, A. Varronem profiteri, se altera die ad conloquium venturum, atque una etiam utrimque admodum tuto legati venire, et, quæ vellent, exponere possent: certumque ei rei tempus constituitur.*

Sic Oud. cum edd. inde a primis omnibus; sed quum locus ita scriptus construi omnino nequeat, alii aliter eum restituere conati sunt, quorum commenta in Oudend. editione legi possunt. Equidem codicum scripturas afferam: pro *atque* (sic Havn. A., Leid. sec., alius) Leid. prim., Dorvill. aliique fortasse *utque*; *etiam* in quibus codd. lega-

3) Vid. B. G. 1, 8, 3; 1, 31, 1; 2, 29, 1; 4, 4, 4; 7, 5, 5; 7, 82, 4 et ad hos locos V. L.; cfr. Clark. ad B. G. 7, 5, 4; ad Bell. Hisp. 13, 6; 18, 1.

dic., *tantusque* 3) *terror cet.* Hanc scripturam Dæhne probavit et Kreyssig recepit; hic tamen ita, ut post

(*huius periodi compositione decoratur, adeo ut, si quid commutare volueris, pereat omnium rerum atque verborum et dignitas atque potestas*). — *Neque* — *et* iungi notum est (cfr. supra pag. 73); rarius *et* — *neque*, vid. Cic. Catil. 3, 8, 20; Flacc. 20, 46; Philipp. 13, 6, 13 (quem locum Ramshornio debeo §. 179 pag. 528); unde fortasse defendi potest locus de Orat. 2, 70, 281. De *neque* — *que* vid. Matth. ad Cic. Catil. 2, 13, 28; Cæs. B. C. 3, 74, 3; *nec* — *que* B. C. I, 70, 5; cfr. B. G. 5, 2, 5; 7, 76, 2. — Cur autem Hermannus (ad Eurip. Bacch. 303) apud Latinos *et* — *que* in partitione dici neget, equidem nescio; neque magis intelligo, cur in Græca lingua non liceat iungere particulas *καί* — *τέ*, licet hanc rem ad liquidum perducere nunc non possim. Vide interim Herm. l. c., ad Viger. p. 835, ad Soph. Antig. 334, Oed. Tyr. 688, Oed. Colon. 1396 et ad eumd. loc. (v. 1388) Doederl., et cfr. Æsch. Sept. Theb. 562 Well. et ad eum locum (v. 577) Blomf. Ceterum tria orationis membra ita sæpe apud Cæsarem iunguntur, ut secundo loco *et*, tertio *que* ponatur (B. G. 1, 11, 1; 2, 8, 3 et 4; 3, 8, 3 et 4; 3, 11, 5; 3, 24, 2; 4, 21, 7; 5, 56, 4; 5, 58, 6; 7, 24, 2; 7, 45, 5; 7, 47, 3; 7, 48, 3; 7, 56, 2; B. C. 1, 14, 4; 1, 18, 4; 1, 20, 5; 1, 28, 4; 2, 22, 4; 3, 2, 1; 3, 10, 5; 3, 11, 4; 3, 31, 2; 3, 36, 3; 3, 39, 2; 3, 42, 5; 3, 44, 2; 3, 60, 3; 3, 73, 1; 3, 74, 2; 3, 93, 3; 3, 98, 2; 3, 101, 6; 3, 102, 1; 3, 110, 2), aut secundo loco *et*, tertio *ac* (B. G. 3, 6, 2; B. C. 3, 102, 7; 3, 106, 2), aut secundo loco *et*, tertio *atque* (B. G. 5, 12, 2; B. C. 3, 98, 3), aut secundo loco *ac*, tertio *que* (B. G. 3, 5, 3; 4, 2, 3; B. C. 3, 69, 3), aut secundo loco *ac*, tertio *et* (B. C. 2, 35, 2), aut secundo loco *ac*, tertio *atque* (B. C. 1, 64, 1), aut secundo loco *atque*, tertio *que* (B. G. 5, 37, 3; 6, 3, 2; 6, 29, 4; 7, 36, 2 et 3; 7, 40, 4; B. C. 1, 31, 2; 1, 69, 4; 3, 12, 1; 3, 51, 8; 3, 100, 2), aut secundo loco *atque*, tertio *et* (B. G. 4, 37, 3; 7, 58, 4; B. C. 1, 14, 4; 3, 72, 2; 3, 106, 4), aut secundo loco *que*, tertio *et* (B. G. 2, 22, 1; 2, 28, 2 et 3; 3, 1, 4; 3, 28, 4; 4, 3, 3; 4, 34, 5; 6, 27, 1; 7, 2, 1 et 2; 7, 35, 4; 7, 41, 4; B. C. 1, 20, 5; 1, 23, 2; 1, 45, 1; 1, 53, 1; 1, 76, 4; 1, 80, 3; 2, 23, 2; 2, 26, 2; 2, 41, 6; 3, 2, 3; 3, 9, 7; 3, 29, 2; 3, 40, 2; 3, 41, 1; 3, 42, 4; 3, 46, 5; 3, 59, 3 et 4; 3, 66, 4; 3, 71, 2; 3, 80, 3; 3, 84, 1; 3, 94, 5 et 6), aut secundo loco *que*, tertio

contendit maximam distinctionem poneret. Sed ne sic quidem locus sanatus videri debet; nam verba *eius exercitui* non possunt non Pompeii milites indicare; itaque verba *quod properans noctem diei coniunxerat cet.* ad Pompeium referenda sunt, unde tautologia non ferenda oriatur, quum supra dictum sit: *diurnis eo nocturnisque itineribus contendit.* Apparet igitur, verba *prop. noct. diei coniunx. cet.* ad Cæsarem referenda esse, quod etiam Heldii Censor in Act. Litter. Lips. 1824 n. 118 pag. 940 et Dæhne viderunt 4); hoc autem, ut nunc cetera verba leguntur, fieri nequit. Quid multa? Totus locus codicum auctoritate ita restituendus est: *At Pomp. — contendit, simulac Cæsar adpropinquare dicebatur* 5);

---

ac (B. G. 5, 18, 5; 5, 56, 5), aut secundo loco *que*, tertio *atque* (B. G. 5, 26, 3; 6, 23, 7; B. C. 1, 20, 1; 2, 20, 4; 3, 19, 4; 3, 30, 7; 3, 37, 6; 3, 42, 1; 3, 92, 2), aut et secundo et tertio loco *que* (B. G. 4, 21, 8; 5, 25, 4; 5, 43, 4; 7, 3, 1; 7, 16, 3; 7, 45, 2; 7, 68, 1; B. C. 1, 17, 3; 1, 18, 5; 1, 22, 3; 1, 73, 3; 1, 74, 7; 2, 9, 3; 3, 58, 5; 3, 76, 1; 3, 110, 3; 3, 111, 6). Cum his cfr. Drakenb. ad Liv. 2, 31, 1; 5, 17, 9; Madvig Emendatt. in Cicer. pag. 40. Quibus autem rationibus quattuor et plura membra iungantur, alibi fortasse docebo.

3) *tantusque:* sic Havn. A., Petav., Voss., Leid. sec., Dorv., Reg.

4) Hoc verum esse satis ostendit Appiani narratio (B. C. 2, 55), ubi de Cæsare dicitur: *ἦγε συντόμως ἐπὶ τὸ Δυῤῥάχιον αὐτοὺς ὁδὸν μακρὰν, οὔτε ἡμέρας οὔτε νυκτὸς ἀναπαύων.* Et paullo post de utroque exercitu: *ἐφιλονείκουν ὡς ἐν ἀγῶνι δρόμον.*

5) Hanc distinctionem iam Ursinus ex suo antiquo libro et Clarke probaverunt; quod autem Hotom. ait, ita scribendum fuisse *dictus est*, fateor equidem *simul ac* plerumque perfecto tempori iungi; sed hoc non prohibere videtur, quominus etiam imperfecto iungi possit, si, ut nostro loco, de re sermo est, quæ sæpius et a pluribus facta est. Ostendit hoc Ciceronis locus Verr. 4, 21, 47: *qui simul atque in oppidum*

tantusque terror incidit eius exercitus[6], *quod properans cet.*

Paullo infra §. 5 hæc leguntur: *Castraque ad flumen Apsum ponit in finibus Apolloniatium, ut castellis vigiliisque bene meritæ civitates tutæ essent præsidio; ibique reliquarum cet.* Varietates codicum et editionum, quum per se non magni momenti sint, nunc non afferam, neque varios VV. DD. in hoc loco restituendo conatus; corruptum enim locum esse, recte viderunt omnes. Ut mihi videtur, corruptionis vestigia solus Havn. A. servavit, si iis habenda fides est, qui reliquos codices contulerunt: hic enim non *præsidio ibique* sed *præsidioque ibi* habet; unde patet excidisse aliquid. Veri simile est Cæsarem scripsisse: *castraque — tutæ essent; præsidioque ibi relicto*[7] *reliquarum ex Italia leg. cet.;* quam facile *relicto* ante *reliquarum* excidere potuerit, non opus est multis explicare: *ibi* autem intelligo *Apolloniæ* (ex superioribus *in*

---

quodpiam venerat, immittebantur illi cet. — Eodem autem modo enunciationis pars adiungitur c. 14, 1.

6) Sic Petav., Havn. A., Leid. prim., Lovan.; *terror eius* (Cæsaris) *exercitus incidit* dictum est ut 3, 44, 6 *magnusque incesserat timor sagittarum.* Posse autem absolute dici *incidere* ostendunt B. G. 2, 14, 6; 6, 15, 1 aliaque exempla, quæ Oud. collegit, cui hæc scriptura non displicebat, quam etiam Held fortasse veram esse censet. *Terroris* autem vocabulum ita usurpari ostendit locus B. G. 4, 33, 1: *ipso terrore equorum — ordines plerumque perturbant:* cfr. Cic. Deiotar. 1, 2 (*qui — adolescentiæ suæ terrorem intulerit ei cet.*), ad Attic. 7, 8, 4 (in Antonii concione erat — *terror armorum*); Leg. Manil. 6, 15; 11, 30. Ceterum in nostro loco Havn. A. pro *eius* habet *ei*, facili, ut videtur, errore.

7) B. G. 6, 7, 4: *præsidio cohortium quinque inpedimentis relicto;* 4, 18, 2 et 6, 9, 5: *firmo præsidio relicto.*

finibus Apolloniatium), ne scilicet post tergum Cæsaris Pompeiani, navibus castra prætervecti, hanc illi urbem eriperent.

III, 16, 4. *Pompeii summam esse ac fuisse semper voluntatem, ut componerentur atque ab armis discederetur: sed potestatem eius rei se nullam habere cet.*

Hoc Cæsarem scripsisse persuadere mihi nequeo; primum enim credi vix potest, Libonem tam stultum fuisse, ut eiusmodi mendacio Cæsarem capi potuisse crederet, si *Pompeio summam pacis voluntatem et esse et semper fuisse* narraret, deinde, quod maius est, nulla est membrorum oppositio: *Pompeio pacis voluntatem esse, sed sibi non esse eius faciendæ potestatem.* Accedit codicum auctoritas: *potest. eius rei se null.* edidit Oudend. ex pessimis codd. Bong. tert. et Palat. (quibus fortasse alii accedunt), ed. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad. Cod. Lovan. habet *potest. eius rei nullam se*; edd. prim., Ald., Manut., Scal. sqq. *pot. se eius rei nullam*; optimi codd. Havn. A., Petav., Leid. prim., Voss. omittunt *se.* Hinc satis apparet, *se* intrusum esse, et prius membrum ita a Cæsare scriptum fuisse, ut non desideraretur. Quid ergo? Dubitari vix posse videtur *Pompeii* nomen additum fuisse, quum vocabulum, quod ante *summam* a Cæsare scriptum fuerat, excidisset. Tale quid etiam Lipsium sensisse puto, cuius in Fabriciano legitur coniectura *suam* pro *summam*; sed voluit sine dubio *suam summam esse cet.*, quod etiam ipse conieceram. Si cui

tamen plura verba excidisse videantur, equidem non repugnem. — Ceterum *componerentur* legitur in omnibus fere codd. (etiam Havn. A.), edd. prim., Ald., Gryph. 1543, 1551, Ursin., Lips., Oud., plerisque recentt.; quod ut ferri posse fatear, tamen præferendum censeo cum Moro, Matthiæ (ad Cic. Rosc. Am. 47, 136), Held, Dæhne, Kreyssig *componeretur*, quod legitur in edd. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545, Manut., Scalig. sqq.

Sequuntur hæc: *propterea quod de concilii sententia summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint.* Ex cod. Norvic. et fortasse aliis 1), edd. Vascos., Steph., Gryph. 1545, Strad., Clarkii Oudendorpius recepit *concilii*; sed Havn. A. cum plerisque, ut videtur, codd., edd. prim., Ald., Manut., Lips., Scal. sqq. habent *consilii*. Sed *de consilii sententia aliquid facere* is tantummodo dici posse videtur, qui consilii primum locum tenet atque igitur id, quod consilio placuit, efficiendum curat 2), quod quomodo hic dici possit, equidem non intelligo. Deinde quodnam est hoc sive *consilium* sive *concilium*? Dion. Vossius ait: "*Concilium*

1) Ait Oudend. hoc esse in MSS, a Grutero consultis, si fides excerptis sit; in Fabriciano nihil legitur, et edit. Gryph. 1538, qua Gruterus usus est, non habeo. Si autem, quod veri simile est, eius repetitiones sunt edd. Gryph. a. 1543 et 1551, videtur habere *concilii*, quod in illis legitur.

2) Cic. Verr. 5, 21, 54: *de consilii sententia* (facit aliquid Verres); leg. Agrar. 2, 19, 51: *Karthaginem P. Africanus de consilii sententia consecravit;* ad Att. 4, 2, 2 p. 179 Sch.: *consules de consilii sententia æstimarunt;* Att. 16, 16, c. p. 335: *consules de consilii sententia decreverunt;* Liv. 45, 26, 12: *pronunciavit de sententia consilii* (L. Anicius); Corn. Nep. Phoc. 3, 4 *ex consilii sententia in custodiam coniectus.*

hic Cæsar quasi per contemtum vocat Senatum Romanum"; sed non considerasse videtur, h. l. non ipsum Cæsarem loqui, sed Libonem, qui utique senatus partem Pompeianam "turbidam et factiosam nuncupare" non poterat. Probavit tamen Vossii sententiam Dæhne. Morus autem *consilium* præfert; "nam Senatus deliberans et decernens intelligitur, et hic *consilium* dicitur." Flade (ap. Dæhn.) *consilium* probat, ut intelligantur *legati*, *tribuni*; sed de his nunc cogitare ineptum est. Heldius denique, qui in priore edit. Vossii sententiam amplexus esse videbatur, in posteriore recte intellexit, eam ferri non posse; sed ex observatione eius apparet, ei de hoc loco nihil constare. Cæsar scripsisse videtur: *propterea quod de C o n s u l u m sententia summam* 3) *belli cet.* *Consules* autem intelliguntur C. Claudius Marcellus et L. Cornelius Lentulus (coss. a. 705), qui initio statim belli civilis Pompeio, qui cum exercitu ad urbem erat, gladio porrecto summam belli tradiderant (vid. Appian. B. C. 2, 31; Plutarch. Pomp. 59; Dio C. 40, 64; Vell. Pat. 2, 49). Accedat his Lucani testimonium, qui Lentulum, senatum in Epiro habentem, inter alia hæc dicentem facit (V, 45 sqq.):

Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium Patres, Magnumque iubete
Esse ducem. — Læto nomen clamore Senatus
Excipit et Magno fatum patriæque suumque
Imposuit.

---

3) Havn. A., Palat. aliique codd. quattuor habent *summa*, vulgari errore, quem etiam Oberlini typographus commisit.

Erant quidem eo anno, quo hæc gesta sunt, Cæsar et P. Servilius Vatia Isauricus consules Romæ creati (Cæs. B. C. 3, 1; Appian. B. C. 2, 48; Plutarch. Cæs. 37; Dio Cass. 41, 43); sed qui in Epiro erant Pompeiani, neque eos neque ceteros magistratus eo anno Romæ creatos agnoscebant, sed prioris anni magistratus retinebant, qui iam pro Consulibus, pro Prætoribus, pro Quæstoribus esse dicebantur (Dio C. 41, 43).

III, 18, 3. *Vibullius, sedato tumultu, — ubi primum, rursus adhibito Libone et L. Lucceio et Theophane, — de mandatis Cæsaris agere instituit, eum ingressum in sermonem Pompeius interpellavit.*

Rursus, quod in plerisque codd. et edd. omnibus legi videtur, ferri non posse, iam Ciacconius vidit; nam neque verisimile est, iam antea Vibullium de Cæsaris mandatis cum Pompeio egisse, neque verum est, quod Clarke credidit, prius a Vibullio adhibitum fuisse Libonem [1], et multo minus L. Lucceius et Theophanes *rursus* adhibiti esse a Vibullio dici possunt. Deinde in omnibus edd. legitur *eum ingressum in serm.*, sed cod. Ursini [2], Havn. A., Petav., Leid. prim., Scal., Voss., Dorv., Lov., Palat., Brant. habent *quem*, quod, priore sententiæ parte corrupta, ab iis mutatum esse patet, qui sententiam plenam reddere vellent. Sequitur igitur,

---

1) Libonem cum Cæsare de induciis egisse narratur supra cap. 15-17; sed hoc nihil ad Vibullium.

2) Hoc Ursinus in Notis pag. 241 affert ex *suo v. c.*

ea, quæ præcedunt, non prodosin constituisse sed in se absoluta fuisse. Hoc vidit D. Vossius, qui ex Petav. legendum censuit *ibi primum cet.*; sed sic in *rursus* remanet difficultas, quam illi tollere voluisse videntur, qui codd. Lovan. et Brant. descripserunt, ex quibus affertur *reversus est*; sed quum non dicatur Vibullius a Pompeio abfuisse, postquam ad eum venisset, *reverti* non potuit; neque *reversus est* Cæsar dixisset, sed *revertit* 3). Jurinus coniecit *ubi primum licuit*; sed hoc a codd. scriptura longius discedit, quam ut verum esse possit. Mihi in mentem venit *ubi primum e re visum est*, quod, qui codices tractarunt, ad eorum vestigia proxime accedere concedent; si quis tamen meliorem emendationem proposuerit, pro mea non pugnabo.

III, 19, 3. *Responsum est ab altera parte, A. Varronem profiteri, se altera die ad conloquium venturum, atque una etiam utrimque admodum tuto legati venire, et, quæ vellent, exponere possent: certumque ei rei tempus constituitur.*

Sic Oud. cum edd. inde a primis omnibus; sed quum locus ita scriptus construi omnino nequeat, alii aliter eum restituere conati sunt, quorum commenta in Oudend. editione legi possunt. Equidem codicum scripturas afferam: pro *atque* (sic Havn. A., Leid. sec., alius) Leid. prim., Dorvill. aliique fortasse *utque*; *etiam* in quibus codd. lega-

---

3) Vid. B. G. 1, 8, 3; 1, 31, 1; 2, 29, 1; 4, 4, 4; 7, 5, 5; 7, 82, 4 et ad hos locos V. L.; cfr. Clark. ad B. G. 7, 5, 4; ad Bell. Hisp. 13, 6; 18, 1.

tur nescio: Havn. A., Leid. prim., Scalig., Dorv., Leid. sec., Lovan., Palat., alius *uis* (vel *ius*); Petav. "a manu quadam emendatrice, sed eadem, quæ priora scripserat" 1), *ubi*; Norvic. habere dicitur *atque una ubi* vel *ibi*; Lem. B., si Dæhnio fides habenda est, *una vis ubi*; Lem. C. a sec. man. *atque etiam utrimque*. Denique Havn. A. et codd. qdd. aut omnes Oudendorpii *utrumque*. Iam vero ex emendatione in Petav. facta Oudendorpius scribendum censuit: *atque una* (sc. responsum est), *ubi utrimque cet.*, quod Bipp. receperunt. Oberlinus etiam peius: *atque una etiam ubi utrimque cet.* Kreyssig autem recte observavit, neque *ubi* in eiusmodi locis pro *quo* sive *quem in locum*, neque *venire*, ut Oberlino visum est, pro *convenire* accipi posse; sed quod ipse pro *ubi* scribendum coniecit *uti*, ut hæc omnia non ex præcedenti *responsum est* penderent, sed ex sequenti *constituitur*, hoc fateor me non intelligere. — Sed quo minus VV. DD. veram emendandi viam ingrederentur, hoc in primis prohibuisse videtur, quod unum vocabulum *etiam* aut *uis* aut *ubi* corruptum putarent, cetera sana esse; loco autem diligentius inspecto, facile apparebit, *admodum* hic prorsus ineptum esse, quod iam Hotomanus vidit 2); tum etiam *utrimque* hic non admodum aptum esse, quum P. Vatinius nihil aliud a Pompeianis postularet, nisi ut Cæsarianis tuto in colloquium venire liceret; itaque inutile

---

1) Sic scribitur in margine Fabriciani, eademque dicit Dion. Vossius.

2) Vidit etiam is, qui R. Stephani editionem curavit, in qua hoc vocabulum omissum est.

erat promittere, etiam Pompeianos tutos fore. His consideratis, omnes mihi concessuros esse spero, ita fere Cæsarem scripsisse: *Responsum est — A. Varronem profiteri, se a. d. ad conl. venturum atque una visurum, quemadmodum tuto legati venire et, quæ vellent, exponere possent* 3). Quod autem dixi, ita *fere* scripsisse Cæsarem, hoc ad verba *una visurum* pertinet, quæ ad vestigia quidem codicum proxime accedunt, sed tamen non nimis placent, quum *una* ita dici dubitem; suspicor igitur hic unum tantummodo verbum a Cæsare scriptum fuisse, sed quodnam hoc fuisse dicerem nondum reperi.

III, 26, 1. *Illi — nacti Austrum, naves solvunt; atque altera die Apolloniam Dyrrhachiumque prætervehuntur cet.*

Sic, quantum scio, edd. inde ab Aldinis omnes 1); si quis autem hanc omnem de Cæsarianorum transmissu narrationem, tabula geographica in manus sumpta, diligentius considerare voluerit, aliquid corruptum esse fatebitur. Apollonia enim Dyrrhachiumque longius inter se distant, quam ut classis uno tempore utramque urbem prætervehi possit; deinde vero, si C. Coponius tum demum naves ex portu Dyrrhachii educere coepisset, quum adversa-

---

3) Cic. Orat. 2, 86, 351: *tu, quemadmodum his satisfacias, videris.*

1) Edd. primæ, quæ in ceteris cum Ald. consentiunt, habent *pervehuntur*; ed. Ven. 1511 *apolloniam Dyrrachium pervehuntur.* — Kreyssig autem ex Petav., Leid. prim., Voss. (quibus accedit Havn. A.), ed. Vascos., Steph. al. recte recepit *altero die.*

riorum classis hunc locum iam prætervecta esset, ipsa profectionis mora spem eos consequendi sibi præcidisset; et infra demum *prætervectæ Dyrrhachium* naves dicuntur. Accedit codicum auctoritas: Havn. A., Petav., Leid. prim., Scal., Voss., Dorv., Palat., ed. Ven. 1511 omittunt *que*; Lovan. habet *inde Dyrrhachium præterv.* Nisi quis igitur verba *Apolloniam Dyrrhachium prætervehuntur* ita explicari posse censet, "Apolloniam prætervehuntur Dyrrhachium versus," Dyrrhachii nomen ex margine irrepsisse 2) concedat necesse est; quo ducit etiam Appiani narratio (B. C. 2, 59): *Ὁ Ἀντώνιος — Ἀπολλωνίαν μὲν παρέπλευσεν, ἱστίοις ἐπιπνέοντος ἀνέμου· χαλάσαντος δὲ τοῦ πνεύματος περὶ μεσημβρίαν, εἴκοσι τοῦ Πομπηΐου νῆες ἐπ' ἔρευναν τῆς θαλάσσης ἀναχθεῖσαι καθορῶσι τοὺς πολεμίους καὶ ἐδίωκον κ. τ. ἑ.* Itaque Antonianæ naves Apolloniam prætervectæ septémtrionem versus feruntur, quibus ex continenti conspectis Coponius cum Rhodia classe Dyrrhachio solvit, ut itinere interclusæ ante hanc urbem proelio decertare cogantur; iam vero, *quum iam nostri* 3) *remissiore vento adpropinquassent*, Auster increbuit, qui Antonianas naves septemtrionem versus ferebat, Coponio autem, cui Aquilo optatior fuisset, adversus erat 4); hic tamen

2) Adscriptum nimirum fuit ad verba *quum iam nostri adpropinquassent*, de quibus mox. Præterea infra c. 30, 1 dicitur: *prætervectas Apolloniam Dyrrhachiumque naves viderant.*

3) Hoc enim ex Ursini et Faërni codd., Havn. A., Pal., Bong. tert., al., edd. prim., Ven. 1511, Scal. sqq. restituendum est. — Oudend. ex Petav., Cuiac., Voss., Lovan., edd. Ald. al. edidit *nostris*; edd. Vascos., Steph., Manut. al. *nostris — appropinquasset.* Nunc apparere spero, quænam mutationis caussa fuerit.

4) Ita enim explicanda sunt verba *nostris præsidio fuit cet.* Iam

labore et perseverantia nautarum vim tempestatis superari posse sperabat: hoc est, nisi fallor, primum remis contendebat, ut, licet vehemens auster esset, tamen occidentem versus profectus illis occurrere posset; deinde vero, quum iam Dyrrhachium essent prætervecti, ipse eos eodem vento sequebatur; sed quum illi iam portum cepissent, Austro in Africum mutato Rhodiæ naves ad terram afflictæ naufragio interibant. Paullo infra codicum auctoritate scribendum est: *labore et perseverantia nautarum et* [5] *vim tempestatis superari* [6] *posse sperabat, prætervectosque D. — sequebatur.* Jungi autem *posse et - que* monstravi supra ad 3, 13, 1 pag. 111.

Ceterum, ut hoc obiter moneam, de *Nymphæo portu*, quo sese Antonianæ naves receperunt, non satis consentiunt geographi. In tabula D' Anvilliana collocatus reperitur paullo supra Dyrrhachium [7]; sed hoc Cæsaris narrationi omnino repugnare apparet, qui *Nymphæum* collocat *ultra* (i. e.

Held recte intellexit, Coponio, si Antonianas naves persequi tantum voluisset, eodem vento atque illis opus fuisse; quod autem ait, vim tempestatis eum ab impetu faciendo prohibuisse, hoc ex verbis, quæ infra leguntur: *nostri — tamen inpetum classis timebant, si forte ventus remisisset*, colligi quodammodo posse fateor; sed nullam in his necessitatem video, cur meam commutem sententiam. Cfr. Appian. l. c. αἱ μὲν μεγάλοις αὖθις ἱστίοις ἐξ ἀέλπτου τὸ πνεῦμα ἐδέχοντο καὶ διέπλεον ἀδεῶς κ. τ. ἑ.

5) Sic Havn. A., Petav., Leid. prim., Scal., Lovan. — Oud. cum edd. omnibus *se*.

6) Sic Havn. A., Scal., Lovan., Dorv. — Oud. cum edd. omn. *superare*.

7) Eodem loco in Stielers Hand-Atlas tab. 38 collocatum reperio Promontorium *Redano*.

septemtrionem versus; Cæsar enim tunc temporis ad Apsum castra habebat) *Lissum milia passuum tria* (c. 26, 4), ubi etiam reperitur in Cellarii tabula Pannoniæ, Moesiæ cet. et in Reichardi tabula Thraciæ et Illyrici. Sunt autem in hac ora duo *Nymphæa*, quæ Fabricius ad Dion. Cass. 41, 45 et Morus ad nostrum locum confuderunt 8). Alterum est prope Apolloniam ad flumen Aoum sive Aeam, crater, unde ignis editur 9); alterum, quod hic commemoratur, tria milia passuum, ut iam dixi, ultra Lissum septemtrionem versus 10), qui locus nunc vocatur *S. Juan de Medua* 11).

III, 45, 6. *Dicitur — Pompeius dixisse: Non recusare se, quin nullius usus Imperator existimaretur, si sine maximo detrimento* legiones *Cæsaris sese* recepissent *inde, quo temere* essent progressæ.

Hic locus ab inutili coniectura defendendus est. Quum enim Cæsaris *nona legio* (c. 45, 2) præ-

---

8) Jam Ciacconius ad h. l. hæc recte distinxerat.

9) Plin. H. N. 2 c. 106 s. 110; 3 c. 23 s. 26; Dio Cass. 41, 45; Strabo 7 p. 316; Plutarch. Sull. 27; Aelian. V. H. 13, 16; Liv. 42 c. 36, 8; c. 49, 10; c. 53, 2. Cfr. Fabric. ad Dion. l. c.; Cellar. Notit. Orb. Antiq. II c. 13 § 17 (T. 1. p. 826 ed. Schwartz., Lips. 1731–32, 4.); Mannert Geogr. d. Griech. u. Römer P. VII pag. 402.

10) Plin. H. N. 3 c. 22 s. 26; Appian. B. C. 2, 59; Lucan. Phars. 5, 719 sq.; Cellar. l. c. II c. 8 § 119 (T. 1 p. 493 sq.); Mannert l. c. VII p. 394.

11) Teste Reichardo in Orbe Terrar. Antiq. ad Tab. VI. Harduinus autem ad Plin. 3 c. 22 s. 26 ait Nymphæum nunc vocari *Cabo di Redeni*; cfr. Cellar. l. c. pag. 494.

sidium quoddam occupavisse diceretur, mirati nonnulli interpretes, quomodo nunc Pompeius de *legionibus Cæsaris* loqui posset, locum corruptum esse putabant; quumque Oudend. in Leid. prim. invenisset *legionum*, facilem emendationem iudicabat scribere *legio nona* 1) seu *IX C. sese recepisset* (nam sic etiam *esset progressa* scribendum esse, oblitus esse videtur). Mihi hæc coniectura ne digna quidem videretur refutatione, nisi eam non modo a Lemaireo et Dæhnio sed etiam ab Heldio probatam esse viderem. Et primum quidem varietas scripturæ cod. Leid. prim. me omnino nihil movet, qui sciam, vocabulum *legio* sæpissime et fortasse semper per notam *leg.* scriptum fuisse, ut per librarios steterit, quomodo hoc vocabulum plene scribere vellent 2). De-

1) Idem iam Ciacconius coniecerat, sed hanc coniecturam ipse reiecisse videtur, quum diceret, *hoc Cæsari usitatum esse.* Markland. Expl. Vett. Auct. p. 273 coniecit *legionarii — progressi.*

2) Ne longius petam exempla, c. 36, 1 Havn. A. cum omnibus, ut videtur, codd., edd. prim., Ald., Vascos., R. Steph. al. habent *adesse Scipionem cum legione*, et ibid. § 3 *impedimentis legionis reliquit*; sed scribendum esse *legionibus* et *legionum* Glareanus, Faërnus, alii viderunt, quod a Manutio receptum ceteri tenuerunt; et recte quidem; nam Scipionem *legiones* habuisse, patet ex c. 31, 4; 37, 1; *duas* fuisse ostendit c. 4, 3; quin ex ipso cap. 36, 3 patet, ei non *unam* modo legionem fuisse: quomodo enim (id quod iam Faërnus apud Ursinum vidit), si hoc ita esset, *octo cohortibus* ad impedimenta relictis, cum duabus cohortibus ad Cassium Longinum, qui unam legionem et ducentos equites habebat (c. 34, 2), proficisci ausus esset? — Contra 3, 106, 1 prætulerim fere scripturam Havn. A. et ed. Ven. 1511 *cum legione una — et altera;* ceteræ edd. *legionibus* habent, neque ulla affertur scripturæ varietas. Sed ut pluralis numerus recte adhiberetur, numerus legionum necessario addendus fuisse videtur

inde doceri velim, unde Pompeius scire potuerit, legionem, quam aggressus esset, *nonam* esse, et, si maxime hoc scire potuerit, quid attineret id nunc commemorare. Apertum est, Pompeium de omnibus Cæsaris militibus dicere, quos Dyrrhachio non inultos abituros gloriatur. — Hoc autem non prohibet, quominus c. 46, 2 verum vidisse censeam Faërnum, Jurinum, alios, pro *legiones reduci iussit* scribendum esse *legionem*, quod Lipsius recepit. Ibi enim de eo sermo est, quod Cæsar fieri iussit, et solam nonam legionem proelio interfuisse patet ex cap. 46, 4 et 5.

III, 53, 5. *Quem Cæsar — donatum milibus ducentis æris ab octavis ordinibus ad primipilum se transducere pronunciavit.*

Sic ed. Ven. 1511, Scal., Oud.; sed corruptum locum esse et alia ostendunt et scripturæ varietas. Havn. A. cum plerisque codd. *donatum mil. CC atque ab oct.*; Bong. tert. *donatum m. CC æris atque ab oct.*; in Lem. C. *æris* superscriptum est; vetus cod. ab Ursino in Notis pag. 260 allatus *donatum m. CC ab oct.*; Reg. et Leid. sec. *donavit m. CC. atque ab oct*; edd. prim., Ald, Manut al. *donavit m. CC æris atque ab oct.* (ed. Ven. 1471 omittit *ab*); ed. Vascos., R. Steph., Gryph. 1545 *donavit m. æris ducentis atque ab oct. ord.* Ex his satis apparere puto, vocabulum *æris* librariis deberi, qui

---

(ut factum est B. G. 2, 23, 3; B. C. 3, 34, 3), quum h. l. non de omnibus Cæsaris legionibus sermo sit, sed de duabus earum.

atque non intelligerent; in editionibus autem pro *donatum* scriptum fuisse *donavit*, ut verba cohærerent; servata autem fuisse et *æris* et *atque*, quum hoc in codd. inveniretur, illud autem in edd. primis. Sed, ut mihi videtur, Cæsar ne potuit quidem scribere *æris*, quum, quantum equidem scio, eius ætate omnis pecuniarum ratio ad *sestertios* non ad *æs* iniretur, neque quisquam hoc vocabulo hac significatione uteretur, nisi si (quod apud Livium non raro factum est, ut 1, 43; 3, 13, 8; 3, 31, 6; 22, 33, 2; alibi) de antiquiore tempore sermo esset [1]. Videtur quidem adversari Corn. Nep. Attic. 13, 6: *non amplius quam terna milia æris peræque in singulos menses — eum expensum sumtui ferre solitum*; sed hunc locum etiam aliis nominibus corruptum videri interpretes monuerunt. Neque mihi primo in Cæsaris loco hoc vocabulum suspectum fuit; iam Scaliger id uncinis inclusit, quem Dæhne et Kreyssig secuti sunt, eiusdemque sententiæ Ciacconius et Morus fuerunt, qui ad *ducenta milia* intelligendum esse *sestertium* monuerunt. Clarke codicis Ursin. scripturam recepit, quam etiam ego probarem, nisi *atque* a librario eiectum esse suspicarer; Marklando autem, qui sibi persuaserat *atque* pro *statim*, *continuo* dici posse [2], meliorum codicum

1) Quum huius rei caussa minime obscura sit, satis erit laudasse Plin. H. N. 33 c. 3 s. 13. Locum autem Cæsaris B. C. 3, 103, 1: *æris magno pondere ad militarem usum in naves inposito*, huc non pertinere facile apparet.

2) Vide Markl. Eplicatt. ad B. C. 1, 24 pag. 265; 2, 42 pag. 269; 3, 94 pag. 277 sq. Cfr. Gell. N. A. X, 29; Gronov. et Drakenb. ad Liv. 26, 39, 16; Intt. Virg. Georg. 1, 203; Walch. Emend. Livian. pag. 102.

scriptura restituenda esse videbatur (Explicatt. pag. 273). Equidem non dubito, quin aliquot vocabula exciderint in hanc fere sententiam *pro concione laudavit atque* 3); verba enim hic præstare velle ineptum foret.

Paullo infra (§ 6) leguntur verba misere corrupta: *cohortemque postea duplici stipendio frumento uespeciariis* (sic Havn. A.; *uespetiariis* Petav.; in plerisque codd. eædem syllabæ exstare videntur, sed in aliis aliter disiunctæ) *militaribusque donis amplissime donavit.* Neque eorum codicum, qui hæc varie mutarunt, neque editionum scripturas, quarum nulla est utilitas, hic afferre in animo est, neque omnes coniecturas, quæ ad hunc locum emendandum fuerunt propositæ; solam D. Vossii coniecturam commemorabo, quam Clarke, Morus, Oberlinus, Held, alii probarunt, Bipp., Dæhne 4), Kreyssig receperunt: *frumento, veste et aliis militaribus donis.* Iam ante Vossium nonnulli in corrupta syllaba *uespe* latere *veste* putarunt 5); sed, ut mihi quidem videtur, nondum demonstratum est, *vestes* inter dona militaria fuisse.

Liceat hanc rem post Lipsium (de Milit. Rom. V, 16 p. 362 sqq.) paullo accuratius tractare; et primum quidem Polybii verba (6, 39, 15) afferam: *τοῖς Ῥωμαίοις τοῦ τε σίτου καὶ τῆς ἐσθῆτος, κἄν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν*

---

3) Cfr. Sall. Jug. 8, 2.

4) Quod enim in huius editione *militaribus* omissum est, typographo deberi videtur.

5) Ut P. Victorius (Var. Lect. 1, 23), qui tamen verissime observavit: *veste autem milites aliquando donari solitos esse certum est; in rebus tamen potius adversis quam secundis.*

ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται. Ex hoc loco apparet, vestimenta non aliter data fuisse militibus, nisi ut de stipendio eorum pretium a quæstore detraheretur, sed fortasse ita, id quod Lipsio visum est, ut singulis rebus certum idque non nimis magnum pretium constitutum esset. Ne hæc autem semper publicis sumptibus coëmerentur, factum est, ut hostibus pacem cupientibus præter stipendium et frumentum (Liv. 10, 5, 12; 10, 46, 12) interdum etiam *tunicas*, *saga*, *togas* exercitui dare imperaretur (Liv. 9, 41, 7; 10, 37, 5; 29, 3, 5; cfr. 8, 36, 11). Ex Plutarch. C. Gracch. c. 2 intelligitur, eos, qui provinciis præerant, etiam hoc interdum a sociis postulasse, ut vestes darent militibus; sed hoc nullo iure factum esse, ex eodem loco apparet, quum Sardi, quibus hoc imperatum erat, nuntiis ad senatum missis rem deprecarentur, senatusque proconsulem aliunde vestes militibus comparare iuberet. Teste eodem Plutarcho (l. c. cap. 5) C. Gracchus legem tulit, ut vestimenta militibus gratis darentur (νόμος — στρατιωτικὸς, ἐσθῆτά τε κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῆς μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων) 6). Sed hanc legem postea abrogatam fuisse, ex Taciti Annal. 1, 17 recte concludere Lipsius videtur: ibi Percennius quidam Pannonicas legiones ad seditionem impulsurus inter alia hæc ait: *militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus æstimari: hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum et vacationes munerum redimi*; paullo

6) Nescio an eamdem legem respiciat Diodorus in Excerptis Vatican. l. 34—36 fragm. 12 pag. 120 ed Dindorf.

post (c. 18) legimus: *Adstrepebat vulgus, diversis incitamentis; hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes.* Videtur tamen hoc postea sub imperatoribus mutatum esse; saltem Alexander Severus (ap. Ael. Lamprid. in Vit. Alex. Sev. c. 52) seditiosos milites iubet *vocem contra eum non emittere, qui acceptam a provincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia ipsis attribuat*; idemque (l. c. cap. 39) dicitur *donasse et ocreas et braccas et calceamenta inter vestimenta militaria.* Sed hic de Cæsaris ætate potissimum quærimus.

Hæc de vestimentis militum in universum; iam illos locos afferam, unde vestes præmiorum loco militibus datas fuisse concludunt. Ciacconius et Vossius laudant Liv. 7, 37, 2: *milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento* [7] *in perpetuum, in præsentia singulis bubus binisque privis tunicis donati.* Sed hoc singulare fuisse ex verbis ipsis apparet, idque A. Corn. Cossus, consul (a. u. 411), tanto facilius facere potuit, quum, direptis Samnitium castris, vestium copia non defuisse videatur. Alios locos Manutius laudavit, sed qui multo minus huc pertinent: Xenoph. Hist. Græc. 1, 1, 24 Lacedæmoniis et Syracusanis ad Cyzicum devictis et omnium rerum egenis (§ 23) Pharnabazus *ἱμάτιόν τ' ἔδωκεν ἑκάστῳ καὶ ἐφόδιον δυοῖν μηνοῖν.* Liv. 9, 6, 6 et Valer. Max. 5, 1, ext. 5, quum Romani ad Furculas Caudinas cum singulis vestimentis sub iugum

7) De *duplicariis* (nam ita dicebantur, quibus ob virtutem duplicia cibaria dabantur) vid. Lips. l. c. p. 353, Drakenb. ad Liv. 2, 59, 11 coll. 23, 20, 2; 24, 47, 11.

missi essent, Campani *insignia sua consulibus, fasces, lictores, arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benigne misisse* narrantur. Denique Liv. 22, 52, 7 post pugnam Cannensem eos milites, qui Canusium perfugerant, Busa quædam *frumento, veste, viatico iuvisse* dicitur. His addam Polybii fragmentum (ap. Suidam in Ἀκόλουθον: Schweigh. fragm. hist. 47): *τοὺς δὲ ἐτίμησε χρυσοῖς ὑφάσμασι* 8) *καὶ λόγχαις, βουλόμενος ἀκόλουθον εἶναι τοῖς ἔργοις τὴν διὰ τῶν λόγων ἐπαγγελίαν.* Ex hoc autem loco, quum quo pertineat ignoremus, non magis concludi quidquam potest, quam ex Liv. 30, 17, 13, ubi Masinissæ a senatu mittuntur *sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis et lato clavo tunicis*, eiusque legatis *bina vestimenta, singula comitibus Numidisque, qui ex custodia emissi redderentur regi*, decernuntur. Cum hoc loco cfr. Liv. 27, 4, 8 et Tacit. Annal. 4, 26, cuius verba hæc sunt: *Cognitis Ptolemæi per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos, missusque e Senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua Patrum munera, daret, regemque et socium atque amicum appellaret* 9).

Quum igitur ex locis adhuc laudatis nequaquam concludi possit, vestes eodem modo præmiorum loco militibus datas fuisse, quo hastas, vexilla, phaleras, armillas, torques, coronas, alia 10), ne-

---

8) Hæc *ὑφάσματα* Schweigh. de *vestibus* explicat, Lipsius autem (Mil. Rom. V, 17 p. 368 sq.) de *vexillis*, coll. Sall. Jug. 85, 29; Suet. Octav. 25; (Dio Cass. 51, 21;) Vopisc. Aurelian. 13, Prob. 5.

9) Hos locos Ciacconius laudavit ad Cæs. B. G. 1, 43.

10) vid. Lips. l. c. p. 364 sqq.; Casaub. ad Sueton. Octav. 25; Brisson. de Formul. IV p. 350 ed. Francof. 1592.

que Polybius (VI, 39) et Zonaras (Annal. lib. VII, 21, p. 350 sq. ed. Paris.), qui pleraque dona militaria enumerant 11), vestes inter ea referant, neque probabile sit, Cæsarem, qui tunc temporis inopia laboraret, illam vestium habuisse copiam, ut iis extra ordinem milites donare posset: aliud quid scripsisse Cæsarem puto; quid autem scripserit, coniectura assequi non possum; sed non improbanda videtur Oudendorpii sententia, hic nonnulla excidisse 12); "videtur," inquit, "Cæsar dicere, se universam cohortem stipendio, frumento vesteque duplici, sed speciatim aliquos ex cohorte singularibus donis militaribus donasse. Nec videntur librarii vulgatam vocem *aliis* tam mire corrupturi fuisse."

III, 86, 5. *Simul denunciavit, ut essent animo parati in posterum; et, quoniam fieret dimicandi potestas, ut sæpe cogitavissent, ne usu manuque reliquorum opinionem fallerent.*

Sic, quantum scio, edd. post Aldinas omnes (edd. prim. et Ven. 1511, quæ reliqua habent, pro *posterum* scribunt *proelium*), sed nullo, ut videtur, sensu. Et primum quidem in verbo *cogitavissent* (cuius loco Voss. et Bong. tert. habent *cogitavisset*), quod nimis languidum videretur, multi hæserunt: Gruterus coniecit *agitavissent*, Davisius *optavissent*, alius (qui Lipsius fuisse videtur) *vovissent*, Morus *rogitavissent*, Markland (Explicatt pag. 275) *flagi-*

---

11) Cfr. Gell. N. A. 2, 11; Valer. Max. 3, 2, 24.

12) Etiam alios vidisse, hic aliquot verba desiderari, ostendit asteriscus, qui in ed. R. Steph. ante *speciariis*, in Scalig. post *frumento* collocatur.

tavissent, quod mihi maxime probabile videtur. Sequuntur deinde *usu manuque reliquorum*, quæ verba D. Vossio merito suspecta fuerunt, licet Clarkius hanc scripturam præstare dicat, quum *usu manuque* sit *peritia et virtute*; addit Oudendorpius, sexcenties Cæsarem cum aliis *usum* et *usum rei militaris* de peritia et experientia in re bellica adhibere. Hoc nemo negat; sed quid hoc ad rem? Morus et Held hæc verba fere cum Clarkio explicant, sed ut appareat, utrumque de hac explicatione dubitasse. Deinde scire velim, quo *reliquorum* pertineat: sunt *pedites*, ait Rhellicanus; *denunciavit* enim hoc Pompeius equitibus. Pompeium autem non apud solos equites hæc dixisse, totus locus ostendit. Quid multa? locus corruptus est, id quod etiam scripturæ varietas ostendit: Havn. A., Leid. prim., Voss. *ne usu manu*; Petav. (teste Oud.; nam in Fabriciano nihil affertur) et Norvic. *ne usu manus*; Cuiac. *ne usu manuum.* Marklandus (Explicatt. p. 275) coniecit: *ne suam omniumque reliquorum opinionem fallerent* (coll. Bell. Alex. 16, 5 et 8, 2)[1]; sed hoc a codicum vestigiis nimium recedit. Scripsit Cæsar: *n e u s u a m n e u r e l i q u o r u m*[2]. Eodem modo *neu* — *neu* iunguntur B. C. 1, 76, 1: *Petreius — milites adpellat; n e u se, n e u Pompeium — adversariis ad subplicium transdant, ob-*

---

1) Nescio autem, cur Oberlinus et Dæhne Marklando has coniecturas: *ne suam Ducumque rel.* vel *ne suam atque rel.* tribuere maluerint, *teste Jurinio*, quam librum ipsum inspicere.

2) Appian. B. C. 2, 51 extr. Pompeio alia occasione hæc verba tribuit: *ἴτε οὖν ἐπὶ τὸ ἔργον, ἀξίως τῆς τε πατρίδος καὶ ὑμῶν αὐτῶν καὶ ἐμοῦ.*

secrat. Cfr. B. G. 1, 35, 3: *hæc esse, quæ ab eo postularet: primum, ne — transduceret; deinde obsides — redderet Sequanisque permitteret, ut — illis liceret; n e v e Aeduos iniuria lacesseret, n e v e his sociisve eorum bellum inferret*; et B. G. 7, 14, 9: *n e u suis sint — receptacula, n e u Romanis proposita cet.*, ubi tamen in Havn. A. et Leid. prim. priore loco *ne* scribitur; eadem varietas est in Sall. Catil. 51, 43, ad quem locum Herzog conferri potest 3). Etiam hoc monendum est, *neu* et in Cæsaris codicibus interdum corruptum fuisse (Cfr. V. L. ad B. G. l. c., B. C. 2, 33, 2) et in aliis (cfr. Drakenb. ad Liv. 2, 15, 2; 34, 35, 9).

---

3) Cfr. Horat. Tursell. de Part. p. 541. Ceterum *ne — neu* iunguntur B. G. 5, 22, 5; 7, 53, 1; B. C. 1, 64, 3; 1, 74, 3; 1, 86, 4; 3, 98, 2; *ne — neve* B. G. 1, 26, 6; 6, 32, 1; 7, 29, 1; B. C. 3, 73, 2; 3, 112, 11; *ne — neu — neu* B. C. 2, 28, 2; *ut — neve* B. C. 3, 103, 4; *ut — neu* B. G. 7, 8, 4; B. C. 3, 112, 8; cfr. B. G. 2, 21, 2; 5, 34, 3.

INDEX LOCORUM EMENDATORUM ET EXPLICATORUM.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

CORRIGENDA.

Pag. 24 v. 10. *eum* scrib. *eam*.
— 46 — 1. *Diariis* scrib. *Annalibus*.
— 79 not. 2 v. 1 scrib. *magnae* — *regionum*.
— 90 v. 15. scrib. *sermonibus celeriter augetur*.
— 91 — 17. scrib. *incessit timor animis*.
— 93 not. 6 v. 3. scrib. *edd. Ald.*